

WITZEL, Georg

Postilla, hoc est, enarratio
Epistolarum et Evangeliorum de tempore
et de sanctis per totum annum / latine
reddita per Gerardum Lorichium. --
Parisiis : Apud Iacobum Dupuis, 1565.

304 h., A-Q8, R4, S2 ; 8°

Autor tomado de CCPB, 28521. --

Apostillas marginales

1. Año litúrgico-Sermones 2. Liturgi
urtea-Sermoiak I. Lorich, Gerhard, trad.
II. Título

R-6197. Ejemp. falta de port. y de 170 h.
del cuaderno de 304 h. -- Datos tomados
de CCPB, 28521. -- Parte del texto
censurado. -- An. ms. en h. de guarda:
"Expurgado conforme al expurgatorio del
año de 1707. Fr. Joseph Ballesteros". --
Enc. perg. -- Firma autógr. en h. de
guarda: "Georguij Wizetuij Sermoneij".
-- Encuadernado con: Quadragesimales
conciones, hoc est, exegemata seu
expositiones Evangeliorum,
Epistolarum... / autore Georgio
Wicellio... ; interprete autem M.
Gerhardo Lorichio... -- Parisiis : Apud
Guillielmum Desboys..., 1565

+

Expurado conforme al expur-
gatorio del año de 1203

Joseph Ballesteros

IN SANCTO NATALI DIVI IO-
-annis Baptistæ, epistolaris lectio
Esaïæ 49.

Audite insulæ, & attendite populi delongè: Dominus ab
utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est no-
menis mei. &c.

ANTELOQVIVM.

Oraculum præsens proprie pertinet ad Christum.
Effectus oraculi in Christo est absolutus. Ioannes
verò Baptista maximus varum, Christi præcurfor,
etiam in hoc vaticinio perstringitur, quemadmodum
& alii apostoli, martyres & confessores, nempe vt ij
quos Deus Opt. Max. suæ ecclesiæ præcipuos archite-
ctos elegit. Ioannem post Christum lectio præsens præ-
cipuè prædicat, tanquam ecclesiæ principium & syna-
gogæ finem. Lex & prophetæ vsque ad Ioannem; post
eum regnum cælorum vim patitur. Vani sunt Apellæ
miseri, qui locum hunc de ipso intelligunt Esaïa. Atten-
dat pietas, quæ Iudæorum fit cæcitas. Negant Messiam
esse, aut (vt ipsi Messiam adhuc nasciturum expectant)
fore Deum verum & hominem: nec possunt præsentis
loci & alia hoc genus infinita, de mera mortali condi-
tione intelligere. Immanuelis vox, vt non significat ho-
minem Dei naturæ exortem, sic etiam solus homo, ea
quæ in hac lectioe recensentur, præstare non potest.
Potuit is, de quo dixerunt Iudæi: Tu teipsum Deum facis.
Exitus oraculû declaravit. Hoc ipsum nunc audiamus.

*Iudæi ex-
crabiles in
scriptura
distorquen-
da.*

Audite insulæ, & attendite populi delongè. Verbi ipsius
hæc est allèuatio, hoc est, filius Dei hoc per prophe-
tam dixit, non ad Israelem tantum, sed ad omne mortu-
alium genus Sensus est: Primò dictum est, Audite me qui
estis de domo Dauid, Esa. 7. I. è audite de domo Iacob,
Esa. 46. In hoc verò capite audite de vnigenito Dei, nō
solum Iudæorum, sed & omnium gētium Domino. Nō
ergò hic dicit, Audi Israel, audi Iuda: sed, Audite insulæ
& atten site populi delongè. Consentit voci huic ver-
bū Christi: ite in vniversum orbem, & prædicate, Mar.
16. Rom. 10. Apostoli Christi, os Christi, Qui vos audit,
me audit, Luc. 10. Dicis: Quid vniverso orbi prædicari
vult? Nunquid summa methodicè tradi potest? Respon.

*Abbra-
uiatus ser-
mo euang-
gelicus.*

deo utique. Primò est abbreviatus sermo, Christum venturum prædestinatione æterna. Non, ait, veni in nomine meo, hoc est, Non veni humanitatis arbitrio: sed patris iussu, à patre missus &c. Esa. 42. Mat. 12. Ioan. 3. 5. Secundò abbreviatus sermo est, venire Christi, esse peccatum destruere. Terriò, abbreviatus sermo est, Manum Domini esse Iesum, potentem in facto & verbo. Vndè ait: Ut videatis me posse peccatum remittere, tunc ait paralytico: Surge, ambula &c. Quartò, Deum patrem filium suum glorificare, est abbreviatus sermo. Glorificavi, inquit, & iterùm glorificabo. Quintò, abbreviatus sermo est, viam ad regna cælorum esse arctam, gregem pusillum esse electos. Sui, ait, eum non receperunt. Homines tenebras luci prætulērunt, Ioan. 1. & 3. Sextò, abbreviatus est sermo, Deus nouit suos. Ipse scit quos elegerit. Nemo eos de manu Christi eruet. Septimò, abbreviatus est sermo, postquàm sui eum non receperunt, conuertit se ad gentes, ut ij qui non fuerunt eius populus, fiant filij. Buccina euangelica nationes excitauit, Acto. 13. Octauò, abbreviatus est sermo, Ecclesiam ex gentibus primò synagogæ infensam fore, sed non posse excindi. Hæc omnia cõpendiosè propheta, tanquàm sermonem abbreviatum, prædicat. Sequitur:

Christi & humanitatis & deitatis confessio est salutaris.

Christus discernendus, & qua hoc ratione.

Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Hæc de humanitate Christi, infra de diuinitate dicit. Pertinet ad salutem, vtrunque confiteri, Christum putà verum Deum esse & verum hominem. † Hic mysterium sanctæ Trinitatis, hinc arcanum conditionis vniuersitatis, hinc sacramentum humani generis redemptionis elucescit, & regnum Dei in hoc mundo hinc exoritur. Facit ergò ad salutem nostram, vtrunque credere & ritè discernere. Non dico duos esse Christos, sed vnum: sed in vna Christi persona, dico verum Deum credi oportere & verum hominem. Hanc fidem discretionem voco. Sic Apostolus discernit Philip. 2. & ferè in aliis epistolis omnibus. Hæc omnia dicta mihi sunt ad verbum de utero, quo verbo discretè, Videns, in Christi respicit humanitatem. Sequitur: Vocauit me. Christus non venit temerè, missum ipse se identidem testatur. De vocatione ea nostra hic Vates etiam suprà

paulò ante ait, capite quadragesimo tertio, vbi etiam de eius agit nomine. Prædestinatus à patre Messias: nomen eius fuit apud Deum celebre, ipsumque spiritus sanctus, sanctis & ad hoc electis, prophetis & patriarchis ostendit longè antè quàm Christus conciperetur. Iesus, Soter, saluator, nomen eius proprium est: quia Dei proprium est, saluare. Abesse nobis non potest, quia nobis missus est. Non abest nisi illis, quibus dicit, Nescio vos mali operarij &c. Adesse, seu alicui præstò esse, etiam significat saluare. Dicitur ergò nobiscum Deus Immanuel, quod est nominis Iesu aptissima periphrasis, & expressio non obscura. Sanctus Hieremias propheta, priusquàm nasceretur, Deo cognitus, eiusdem capite primo. S. item Ioannes Baptista ab utero matris spiritu sancto dicitur repletus, Lucæ primo. Vtriusque ampla prædicatio est apud Deum, eos fuisse celebres priusquàm nascerentur, sed nihil ad Christum. Vtriusque gloria, vix Christi gloriæ est umbra. Vtriusque gloria, neutrius est. Christus rex gloriæ est, vnde præsens locus de Iesu Christi Immanuelis nostri nomine eo, cuius Deus pater recordatus dicitur, propriè de Christo intelligendum. Proximè tamen & secundùm Christum, intelligendum de sancto Ioanne Baptista. nam sic habet euangelista: Ioannes est nomen eius. Non ait, Ioannem eum volo vocari, hoc nomen volo illi infantulo indi, aut aliquid huiusmodi: sed, Ioannes est nomen eius, celebre iam & nobile, notum & ratum apud Deum, &c.

Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus sue protexit me, & posuit me sicut sagittam electã, in pharetra sua abscondit me. Suprà de humanitate Christi signãter dicit, hoc ipsum hic declarat, in psona filij patri deferens, patri omnem gloriam tribuens. Sic etiam ait Saluator: Ego glorifico patrem. Item, Ego non quæro gloriam meam &c. Verbum Domini gladius est vtrinque acuminatus, verbum hoc in os Iesu posuit pater æternus. Neq; enim docuit vt pharisæi & scribæ citra specialem virtutem. Cæterùm nemo gratiam docendi habet, nisi linguam eius formet gratia, Esaiæ 50. Opus item est Dei, aperire os nostrum ad annunciandam Dei laudem, *Filius dei fert patri. Verbum Dei manchara distomos, & sagitta electa.*

Psalm. 50. Ex hoc loco prophetæ Esaiæ videtur acceptum, quod Apostolus ait Eph. 6. Hebr. 4. verbum Domini esse machæram distomon, frameam vtrinque fecantem. Rectè hoc. nam & Christi lingua dicitur quasi ignis consumens Esa. 30. De hoc gladio ait Apostolus Thessal. 2. cap. 2. antichristum tandem percutiendum. Loquitur autem autoritate Esaiæ cap. 11. Facit ad hoc quod sequitur: Posuit me sicut sagittam electam. Gladio cominus, iaculo eminus pugnatur. Christus cominus obistentes sibi confecit pharisæos in Palæstina: idem postea eminus ethnicorum philosophos & tyrannos debellauit, atque adeò ipsum principem huius mundi profigauit. Quod Christi vox temporalis siue corporalis non perfecit, hoc per apostolos, denique per sanctos martyres & pontifices est executus. Vos, ait, non estis qui loquimini. Item, Ego dabo vobis os, cui non poterunt resistere aduersarij. De sagittis illis apostolicis in vniuersum mundum emissis, vide Psal. 44. Non se apostoli, sed Christum prædicauerunt, 1. Cor. 2. 1. Thess. 2. Sagitta ea cordibus humanis infixæ, longè alia res est, quàm centron Periclis. Sagittæ Cupidinis, quibus tot mundi perierunt dij, Iupiter, Apollo, Mercurius, Mars, Neptunus, Pluto &c. huic sagittæ cedunt, & ab hac sagitta liquefcunt. Primitiua ecclesia ferè omnis, amore Christi, vxoriæ rei oblita, studuit corpore & anima Deo placere. Denique sagittæ Ionathæ non adeò fuerunt certæ, 2. Reg. 1. Scit Christus quos elegerit. Electo dicit: Surge, sequere me, & surrexit, & sequebatur eum. Item: Descende, quia in domo tua oportet me manere: & descendit continuò, & excepit eum gaudens. Vides certam sagittam. In pharetra Dei absconditum est tale iaculum: Electum telum sagittarij ritè custodiunt. In pharetra sua abscondit me, ait. Dixit etiam, Sub vmbra manus suæ protexit me, &c. Hæc omnia sunt intelligenda de eo quod ait, Ego pono animam meam, & iterùm sumã eam. Nemo tollit eam à me, sed ego ponã eam à meipso. Potestaté habeo ponèdi eã, & potestaté habeo iterùm sumendi eam. Quadrant etiã in custodiã eã qua suos protegit, de qua iterùm ait Ioã. 10. vbi suprã. Nemo eruet vos, ait, de manu mea. De se item ait: Venit

princeps mundi huius, sed nihil habet in me. Herodes, Pilatus, Annas, Caiphas, Festus, Felix, Agrippa, Claudius, Nero, Decius, Maxentius, Sapores, Turca, hæretici, schismatici, denique diabolus ipse arundinē hanc Deo patri eripere non possunt. In umbra alarum suarum protegit doctores veritatis, Psal. 16. 59. Protegam eum, ait Psal. 90. Hof. 11. In brachio Domini fiducia ipsorum, Esa. 51. Ibi item dicitur, doctores veritatis, quasi in umbra Dei manus, custodiri. Si Deus pro nobis, (ait doctor gentium Rom. 8.) quis contra nos?

Et dixit mihi: Seruus meus es tu Israel, quia in te glorificabor. Et hoc de Christi humanitate est dictum. Filius vocatur seruus. Idem facit suprā cap. 42. Matthæus exponit cap. 12. Formam serui non solum Christus accepit, sed & crucis. Undè & circumcisis, undè etiā tributi immunis esse non voluit. Si offendit te nomen serui, sanet nomen filij. Idem enim est filius, qui est & seruus, Mat. 5. 17. Verus Deus & homo, ergò mediator Dei & hominum, 1. Timo. 2. Apostolus vocat ministrū circumcisionis, Rom. 15. Iterum vocat eum filiū Dei, Rom. 1. Israel vocatur hic, quod facit ad declarationem humanitatis, in qua etiam angelis paulo fuit minor. Cæterū & Israel dilectus ille filius *Iesurum*, hoc est, der rechtschaffener Breuiter, per Christum elucescit gloria patris. Per Christum siquidē pater honorificatur, glorificatur, prædicatur, extollitur primò in Iudæa, dein per vniuersum terrarū orbē, Ioan. 12. 17. 1. Tim. 3. Nato ergò Christo, angelicus concētus Gloriam in excelsis Deo denunciauit.

Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergò iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Filius hic ingratitude & pertinaciā obduratorū phariseorum execratur. Simile est quod ait: Quoties expandit pater meus, gallinarum more, super te manus suas, te volens cōgregare, & noluitis! Item Ioannes venit, nec edens, nec bibēs: & dixerūt, demoniū habet. Venit filius hominis, edens & bibēs: & dicunt, En hominem comedonem, & vini potorem, publicanis amicū & peccatoribus. Tibia cecinimus vobis, & non saltastis: lugubria cecinimus & non planxistis, Mat. 11. Odio habuerunt me, Matth. 23. Tanquā Samarita-

Doctores
veritatis
in umbra
alarum
suarum
protegit
Christus.

Filius vo
catur etiā
seruus.

Phariseo
rum exe
crabilis
pertinaciā

POSTIL. V VICEL. SVP. EPISTO.

nū & blasphemū lapidibus obruere voluerūt, Io. 8. Plā-
tatio Dei nō fuerūt, Mat. 15. ergō nequidq̄ illis inferui-
uit. Verbū nō egit in illis radices, nō habuit in illis locū,
Mar. 4. Io. 7. Oculos habuerūt, & nō viderūt aures ha-
buerūt & nō audierūt, Esa. 6. Ioā. 12. Act. 28. Horrendū
dictū, Multos vocatos, & paucos electos. Idem etiā ho-
diē liquidō nimium & heu nimium videre est. Restat er-
gō, vt id præstemus, qui eligamur. In minimo sumus fide-
les, & maius nobis credetur: quoniam etiam orationes,
elemosyna & ieiuniū Cornelij, tanquā odor bonus,
in cælum ascendit. Cauete cauete Acherontēas sirenes,
folius fidei cantatrices. Cauete cauete dulcia prædican-
tes vobis, vt in carne vestra gloriētur. Si nos spernitis,
animas nostras liberauimus, sanguis vester super vos,
Eze. 3. Christi diligentīā à Iudæis neglectā fuisse & con-
temptā, vides Ro. 9. Obserua præsentis loci tautologi-
am: In vacuum, sine causa, vanē. Grandis expositulatio,
vehemens obiurgatio. Sequetur in extremo die longē
omnium vehementissima & horribilissima sententia.
Quid autem? Nunquid domus Dei vacua situ sordet,
quòd vocati non veniunt? Nunquid verbum ineffi-
cax? Ergō pœna digna contemptores manet. Attamen,
ait, iudicium meum cum Domino. Omne iudicium de-
dit pater filio. Si contemnitur seruus, iudicabit filius. Si
nihili penditur filius, iudicabit pater. Si homo in mi-
nimis ponitur, iudicabit verbum. Videt & iudicat Do-
minus, idem seruus & filius. Quid faciendum erat, quòd
non præstiterim? Quis arguet me de peccato? Si verita-
tem dixi, quare non creditis? Quis est qui me condem-
nat? Esaia 50. Lapidem abiectum pater meus cælestis in
sui ædificij angulum statuet. Opus meum coram Do-
mino. Apostolus itidem frustra Galatis prædicasse se in-
sinuat Iudæochristianis. Coronam tamen sibi suorum
laborum certam pollicetur, depositum sibi suum cer-
tum in cælo fatetur. Sic & Seruator ait: Declaravi nō-
men tuum, ô pater cælestis, in mundo. Item: Manifesta-
ui nomen tuum hominibus, hoc est, officio meo satis-
feci, fidelem me ministrum tibi exhibui: si me mei non re-
cipiunt, tu tamen opus meum non abiicies. Hic eccle-
siastes fidelis præsentem videt consolationem, si viderit

*Eligi inui-
gilemus.*

*Eligi ne-
gligentes,
grauiter
condemna-
buntur.*

suam diligentiam in hoc mundo contemni. Videbit mundus quem confixerit.

Et nunc hæc dicit Dominus: Formans me ex utero seruum sibi, ut reducã Iacob ad eum: & Israel non congregabitur, & gloria eius sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea.

Locus hic dialogicus est. Crebras vides personarum mutationes. Iam pater, iam filius loquitur in eodem spiritu. Finis & scopus dialogi, in nouum testamentum respicit. Euangelion Christi explicat. Sensus est: Euangelion primò prædicandum in Iudæa. Sic ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel. Respondet pater ad præcedentem filij querimoniam, Iudæam verbum non recepturam, quod etiam prædicatur Esa. 53. exponitur Rom. 10. Dicit pater: Agè serue fidelis, fili dilecte, prædestinavi te quidem, deindè & vocavi, hoc est, Seruatorem te mundi designavi, & misi. Incarnatum verò, non nisi populo electo te misi: sed eccè mihi, quos ego tibi elegi, ipsi te repellunt, te auersantur. Volui desolata restaurares, Amos 9. Actor. 15. Domus Israel à tempore Hieroboam me vsque reliquit, misi ergò te, vt errantes ipse mihi reconciliares, palantes domus eius in ouile reduceres volui, Matth. 15. Tanquam gallinam pullos domus Iudæ te colligere emisi, Matth. 23. Sed eccè dicunt: Hic hæres est, occidamus eum, Matth. 21. Marc. 12. Non impunè hoc facient. Cæterum propter tui reuerentiam in fine seculorum reliquias eas collegero, Rom. 11. Interim pro patribus nascentur tibi filij. Meritum tuum tantum ac tale erit, vt etiam propter te reliquis ipsis aditum ad me patefaciam. Interim item propter te, ipsos occidi non perpetiar. Plenitudo gentium erit tuum peculium. Gentes dabo tibi hæreditatem. Iudæi hic legentes, *Ve Israel lo Ieasaph*, hoc est, & Israel non colligetur, non congregabitur, &c. miserè affliguntur, mirum est, eos non omnes emori. Ad Messiam promissam, & diù afflictim expectatum, non congregabuntur, quia tenebræ lucem non receperunt, Ioann. 1. & 3. Vides prædictam esse Iudæorum pertinaciam, quod abundè Apostolus declarat, Romanor. 9. Rabini peruersi, ex adverbio, *lo*, faciunt pronomen, & Ei ponunt vbi, Non, positum est. Nihil tamen efficiunt. Literæ *Lamed*

& *Aleph*, faciunt Non. Verum si *Vau* interponatur, fiet ipsum, siue Ad ipsum. Germanicè im siue zu im. Sed & vana est elabendi isthæc literarum variatio & scripturæ adulteratio. Sanctus Hieronymus, Rabinos scripturæ adulteratores, satis grauitè taxat atque condemnat. Impingunt etiam, qui in dictione *Asaph* nescio quos gryphos quærunt. Non præterit nos, aliquando, sed rarissimè, significare Auferre. Sed hic, Auferre non potest significare. Breuiter, prophetia peruentum est declarata, & declaratur quotidè. Tanta vero est Iudæorum infelicitas, vt ne vexati quidem intelligere possint. Sequitur apud Prophetam:

Et dixit: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc est perfecta & manifesta responsio patris, ad querimoniam filij de ingratitude & obstinatione Iudæorum; euangelion auersantium. Sensus est: Parua iactura est Iudæorum. Quota enim pars est Iudæa mundi? Gratia ergò gentibus hoc erit gratior, quò magis fuit à gentibus aliena. Tanquam oriens grata erit, vtpotè rara, seraque longæ nocti succedens, Tit. 2. 3. Sunt & aliæ nationes Dei conditionis, Gen. 2. Vult laude infrenari omnes, qui ad suam laudem creauit omnes, Esa. 43. 48. Venient sitiètes & esurientes, Esa. 55. Venient omnes fines terræ vt saluentur, Esa. 45. Hactenus persona patris locuta est. Collapsæ tribus Iacob & Israel, erant erigendæ, Esa. 9. Ioan. 12. Terra Israel plane desolata, debuit reparari, Amos 9. Venit enim feruare quod perierat, Luc. 19. Iacob & Israel hic pro consuetudine loquendi scripturæ, vna res est. Iam cum Iudæi oblatam sibi respuerunt gratiam, lux noua, Oriens ex alto, ortus est gentibus. Iuxta hanc prophetiam dixerunt apostoli Paulus & Barnabas in Pisdia Antiochia: Vobis imprimis regnù Dei prædicari oportuit, sed cum vos illud contemnatis, ad gentes transferetur. Sic habent verba apud Esaiam: *Vneshathi leor Goim libroth Ieschuathi ad ketze haaretz*, hoc est, Statui te in lucem gentium, vt sis salutare meum vsque ad extremum terræ. Act. 13. adducit Lucas Esaiam testem contra Iudæos. Apostoli frequenter prophetiam sic intelligunt. Conuenit item Psa. 2. Postula

Gentibus
gratis Deo
gratia.

à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Exponit Apostolus Rom. 9. 10. Nobis itaque lux illuxit ea, de qua Simeon ait Luc. 2. Tenebræ nostræ illuminatæ, quarum meminit Dauid Psal. 17. Nobis contigit Messias, in ipsum credentibus, Ioan. 3. Luc. 11. Sequitur:

Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te.

Hæc dicit Dominus ad auferendum scandalon crucis, quod imminere nouit pater cælestis omnibus uerbum salutis recipientibus. Præuisa iacula, minus feriunt. Exordium ecclesiæ & tenue, & discriminum plenum, Deus pater præsentis solatur oraculo, * tamen reges terræ omnes, crucifixo erant subiiciendi. Augustos piscatorum præcepta obseruare oportuit. Pauci imbelles atque inermes, totum mundum tyrannis & gigantibus plenum, expugnaturi erant. Sic & synagoga sua infirma habuit exordia. Redemptor & sanctificator Israelis, dicit pusillo gregi, contemptæ & abominabili genti, & ad seruum dominorum: Reges videbunt, & consurgent principes adoraturi Dominum fidelem & sanctum. Titulum obserua: *Neeman*, hoc est, fidelem, veracem, fide dignum, redemptorem Iesum, Immanuelem, sanctum atque ad eum sanctificatorem. Animas plures vnã faciet. Ad multas tanquam ad vnã dicet. Act. 4. Vnum cor & vnã anima.

Væ schismaticis. Vide schisma ex diametro Dei luctari voluntati. Spiritus plures in animam vnã vult redactas: schisma vnã in plures distrahere conatur. Ecclesia est omnium fidelium vnitas, vnã anima: huic loquitur. In ecclesia, sana doctrina & sacramentorum veritas. Extra ecclesiam impostura & mendacium, sacramentorum simulatio & figmentum. Quid verò spiritus animæ soli illi dicit? Reges, ait, videbunt, hoc est, ecclesia perpetuò contempta non remanebit. Reginam eam Dominus Deus in toto mundo gloriosam faciet. Idola mundi quod deferes, quod à principe huius mundi ad viuentem Deum deficies, ergò mundi mancipia tibi insensa experieris, sed festina lente. Qui crediderit, ne festinet. Mutabuntur vices: nam videbis subiectos tibi reges.

*Crucis scã
dalò pro-
phete præ-
viderunt.
for. & cum*

*Ecclesia
& schis-
mata sibi
ex diamet-
ro præ-
gnant.*

*Ecclesiam
nō minus
atq; ipsum
Christum
pluribus
nominib⁹
propheta
dignantur*

Obserua: Vates ecclesie etiam tria dat nomina, quemadmodum etiam sponso dedit ecclesie, quem vocauit fidelem, sanctum & redemptorem. Ecclesia quoque dicitur contemptibilis, inamabilis, & serua: quæ tria dura vocabula emollit atque leuat fides, qua credimus sp̄sum ecclesie esse redemptorem, sanctum, & fidelem: quem per reges adorari oporteat. Prophetia incepit adimpleri per Magos, per regulum, per Sergium, per Cornelium, per Abagarum, per Philippum, per Constantinū & alios, qui se pontificibus tanquam Christi subpastoribus, ouium instar submiserunt. Vidit mundus, viderunt principes orbis terrarum, ecclesiam præsentem sibi habere Deum, principium & progressum ecclesie esse Dei, 1. Cor. 14. Adorabatur Christus non remorabatur persona crucis, Phil. 2. Esa. 53. Videbunt etiam impij & obstinati reges cum suo principe diabolo, & contremiscent. In extremo siquidem die manifestus veniet, sed nō in omnibus idem apparebit. Alexander, Xerxes, Iulius, Amurathes, & hoc genus alij pudefient, videntes suam gloriam versam in contumeliam & æternam pœnam. Videbunt quem confixerunt, Zachar. 12. Ioann. 19. Hæc omnia locutus est fidelis, qui nos elegit: illi gloria in secula seculorum, Amen.

IN EISDEM FERIIS NATIUITATIS sancti Ioannis Baptistæ, Euangelium, Luc. 1.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, &c.

PROOEMIUM.

Lectio euangelica, quam modò vestra charitas audiuit, de Helia plenius agit. Lectio epistolæ prophetica parcius Helie meminit: copiosè verò Messiam prædicat. Et euangelistæ omnem statum euangelicæ lectionis non ad Heliam, sed ad Messiam referunt. in ipso Messia siquidem situm est salutis omne negotium. Helias saltem testis est. Hic index est viæ, ille via, Ioann. 14. Obserua, Zachariam quoque ipsius Helie parètem, non in suo nato fixum manere atque adhærescere, sed per natum, in ipsum promissum Sotera mundi ascendere. Summa huius lectionis, in quatuor est sita. Primum, Miracu-

Iosa natiuitas Ioannis. Secundum, Gaudium & congratulatio vicini. Tertium, Circuncisio & nominis impositio præclara. Quartum, Canticum Zachariæ. Omnia iucunda relatu, omnia salutaria auditu. Faxit Deus, auribus audiendi audiamus:

Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Zacharias incredulus fidere percussus, obmutuit: Maria virgo, vera Abrahamæ filia, fidelis, vnâ cum Elisabeth dulcia miscuit colloquia, salutaria cecinit cantica. Interim nouem mensibus exactis, tempus pariendi fores pulsauit. Veritas Dei in nostro mendacio se declarauit. Zacharias ad angeli nuncium dubitauit, sed veritas non errauit. Si non credimus, ait Apostolus 2. Timoth. 2. Deus tamen manet fidelis, seipsum negare non potest. Pater mutus factus, à Deo tactus & percussus videbatur. Mater grauidata, pudorio suffusa rubore, sese occultauit primò: quia turpe est, anus hircissans. Accedit huc illud poetæ:

Turpe, senilis amor.

Origenes & Ambrosius sacrosancta de verecundia scripsere Elisabethis: inter cætera dicit Ambrosius, etiam opera nuptiarum honestam eam erubuisse. Sed salua res est. inirium sapientiæ atque omnis boni, timor Domini. habet & suum meritum apud Deum honestas & castitas connubij, habet & suam promissam mercedem synce ritas fidei, iuxta hoc: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Filia itaque fidelis Abrahamæ, ibi credens, vbi credulitatis nulla fuit naturalis ratio, Gen. 15. Rom. 4. fidei sue præmium sustulit prophetam magnum, in gaudium totius orbis. Sequitur:

Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Focus proprius & vicinus commodus, mons aureus. Non ineptè ædes suas inscribens, eam causam vicino optimo commendauit, vt pluris eas diuenderet. Mali vicini execrationem pete apud Hesiodum. Hic commendandum bonum vicinium. Periceci inter se gaudia & luctus habent communes, Rom. 12. Importuni amici Iob, afflicto insultantes. Gaudia ea, quæ hic de vicinis Zachariæ prædicantur, sancta sunt: vnde & antea per angelum præ-

Fidei meritum.

Vicinus bonus, mons aureus.

dicebantur. Cantantur apud poetas lætitiæ partus Andromaches. Et Chorilaus Lacedæmonius, à natiuitatis suæ gaudiis hoc sortitus est nomē, Sed vana omnia mūdi sunt gaudia : quæ desursum sunt, vera sunt & solida. Talia inuenias patriarcharum, Abrahæ, Isaac, Iacob: item, teste Origene & Ambrosio, duodecim patriarcharum, præcipuè natiuitatis Obeth, Ruth. 4. Vbi dicitur, *Lilad ben le Noemi*, hoc est, filius natus est Noemi. Et mulieres dixerunt: Benedictus Deus, qui non passus est vt deficeret successor familiæ tuæ. Et euāgelista noster ait: Magnificauit Dominus misericordiam suam cum Elizabeth: quod ex Hebræo sic poterit reddi: Magna quippe misericordia Domini. Sic Ioānis natiuitatis gaudia, excellunt omnes legis iucunditates. sed quantum Ioannis lætitiæ legales superant, tantum à Mariæ partus delectamentis superantur: omnia superat tantum oualis iubilus natiuitatis Christi. Propter Christum festa omnia. Vnde & Ioānis natiuitas festa dicitur, quoniā euangelica. Lucæ I. Angelus ait: Ego sum Gabriel angelus, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare, &c. Non angustè est hic locus exponendus, quasi gaudia natiuitatis Mariæ excludat: Augustissimus est locus hic euangelicus, Matri Christi nequam auferens quod seruo tribuit. Aurora & lucifer sunt natiuitatis Ioannis & Mariæ gaudia, Solis iustitiæ lætum ortum præcedentia. Ioannes dicitur lucerna ardens, apud euangelistam Ioannem cap. s. Dubium non est huc respicere consuetudinem eam, qua alibi in ecclesia pyræ succensæ crepusculum irradiant, alibi tenebræ nocturnæ accensis lampadibus fugantur, alibi alia eius significationis ritus celebrantur. Sacer est ritus, vtinam eo non abutamur. Christus est lux, lucerna Ioānes. Beati qui in luce ea ingrediuntur.

Et factum est, in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabunt eum nomine patris sui Zachariam. Puer in lege natus, meritò secundum legem est circumcisus. Nobis nihil cum legali circumcisione, quia solum spiritualis debitores sumus circumcisionis, Col. 2. Immo etiam Iudæi ad Christum conuersi, liberi sunt à legis oneribus, quia lex est spiritualis. Corda nostra manet circumcisio ma-

*Circūcidit
tur Chri-
stianis quo-
tidie spū-
tualiter.*

nus Dei, Deute. 10. 30. Rom. 2. Mar. 7. Nostrom quoq; sabbatum est mysticum, Esa. 66. Sacrificium idem nostrum spirituale dicitur Ose. 5. Matt. 9. Rom. 12. Verum nisi spiritualiter circumcidamur, præuaricamur. Infans sanctus hic circumciditur, quemadmodum & infra sanctus sanctorum: quo admonemur, vt & nos subinde circumcidamus, à vanis omnibus nos abstinendo. Exempla prisca sanctorum patrum, eorum qui silicernij & steriles prole beati sunt, renouantur, vt videamus Deum semper eundem manere, nec temporis diuturnitate vlla mutari. Mala. 3. *Ani Adonai velo sanithi*, hoc est, Ego Dominus qui non mutor, Psalm. 106. Hebr. 1. 7. Tu autem permanes. Hic renouatur gratia, quæ contigit Abrahæ & Saræ, Genè. 21. Roma. 4. Helchanç & Annæ, 1. Reg. 1. Parentibus Samsonis, Iudic. 12. Institit opus plenitudinis gratiæ, vnde ritè tantæ misericordiæ Dei renouantur opera.

Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Hic vehemens contentio & controuersia cooritur, quæ tamen maiestate verbi Dei sedatur. Vicinæ prætendunt consuetudinem, quæ maiorum nomina posteris tribuit. Sed Zacharias habuit apertum verbû, à quo non licuit illi discedere vel latum culmum. Dixerat angelus: Vocabis nomen eius Ioannem. Tam hoc oportuit præstari, quàm filio Mariæ nomen suum Iesus dari. Attende autem, quàm sibi consentiant qui spiritû Dei habent, & qui ex Dei spiritu loquuntur. Nulla hæresis sibi constat. Scyllæ inguen est hæresis omnis. Non enim in Scyllæ inguine rabidorum canum latratus poteris esse æquè varius, atque sibi discrepat hæresis omnis: quod hodie videmus in controuersia ipsa, quæ inter ipsos est hæreticos, de peccato originali, & de sacramento Eucharistias, &c. Contrà, ecclesiæ omnes sibi in mirum modum consentiunt, per tot diuersa loca & temporum interualla distantes. Quis hic Elizabetham docuit, Ioannem vocandum infantem? Spiritus sanctus: neque enim id facere poterat Zacharias iam mutus fa-

*Verbi dei
sensus na-
tius cõsen-
tit sibi.*

POSTIL. VVICE. SVP. EPISTO.

ctus. Angelus nomen hoc patri ostendit, Spiritus sanctus idem matri insinuauit. Hic lis esse non potest, quia *Vir caput mulieris.* Spiritus sanctus angeli & coniugum castorum moderator, sibi contrarius non est. Obserua hic, mulieris caput esse virum. Innuunt ergo Zacharię, atque ipsum de nomine pueri consulunt, tametsi matris sententiam au-

Nominis indendoris prescis cura maxima fuit. dierint certam. Alibi ostendimus, Iudeos in nominibus indendis sollicitos extitisse: fuit & ille mos apud ethnicos, sed apud Iudeos maius habuit pondus, sacramenti nimirum magni. Apud Homerum vides filio Hectoris Camandrio nomen mutatum, & vocitatum Astyana cta hoc est, Troiæ assertorem. Sed noster hic pusio vocatur Ioannes, vt gratiæ plenitudinem instantem istoc nomine delinearet. Poterit Latinè verti, Gratianus. Cōtrarium omnino est quod Ose. 1. legitur de nominibus duobus, quorum alterum *Loryhana* sonat, sine misericordia: Alterum *Loammi* sonat, Non populus meus. Sūt & alij hoc nomine appellati, de quibus vides Hier. 40. 1. Macha. 2. 9. & 13. &c. Nihil iucundum relatu, de omnibus inuenies. Hic iucunda omnia, quoniam fores pulsarunt omnia Dei gratię sacramenta. Beatus qui eorum fit ritè consors. Sequitur:

Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem ilico os eius, & Miracula lingua eius: & loquebatur, benedicens Deum. Hic obserua miraculorum Dei proprietatem, atque ad eodē veritatē. Hostis quid aliud faciat, quàm noceat? Nisi enim quid noceat, diabolus esse desinet. De hac re ait Petrus apud Clementem lib. 3. Dic quęso, quę vtilitas est, ostendere statuas ambulantes, latrare aureos & lapideos canes, salire montes, volare per aerem, & alia his similia, quę dicitis fecisse Simonem? Quę autem à bono sunt, ad hominum salutem deferuntur, vt sunt illa, quę fecit Dominus noster, &c. quę etiā per me fieri videtis. Cęterum quod &

Dominus quoque percussit. Dominus percussit, peccata nostra hoc postulant. Sic Zacharię loquendi organa propter incredulitatem subtrahit. Sic decem plagis percussit Aegyptum, & vndis obruit Pharaonem. Sic lepra percussit Giezi. Sic etiam pueros iridentes prophetā, immisis yrhis, dilaniavit. Cęcitate etiā plerosque percussit, Gen. 19. 4. Reg. 6. Cęterum Dominus etiam percussit, vt sanet: mortem irrogat, vt

viram declaret, Ioan. 9. 1. Reg. 2. Claudit cælum, vt maiori gratia redaperiat, 3. Regum 17. Origenes hoc loco adnotauit mysterium, quod deinde approbavit Ambrosius: Synagoga, veniente verbo, debuit obmutescere. Quid enim rauca æra faciant ad vocem, quæ ea quæ nõ sunt, tanquam existant, vocat? Ipse dixit, & facta sunt, ait Dauid. Vt illa vox hoc potens, verbum incarnatum designetur, os sacerdotis legalis meritò obtulit. Sic enim visum est spiritui sancto, vt lex & prophetæ in Ioanne clauderentur, Matth. 11.

Et factus est timor super omnes vicinos eorũ, & super omnia montana Iudææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant, in corde suo. Hic timor nõ est vulgaris ille, de quo vndique legitur. Immensum timorem hic intelligas oportet. Hic timor est, qui & cor & mentem hominis concutit & aufert. Talis corripuit custodes sepulcri Dominici, Matt. 28. Hoc se timore percitos fatetur piscatores Galilæi in stagno Genezareth, Luc. 5. Naimitani hoc timore exanimati, Luc. 7. Sic tremuere Solymitani, visis tot miraculis per manus Apostolorum editis, Act. 2. Ecclesia sic obstupuit, Anania cum vxore sua percussio, Act. 5. Rumor hic increbuit vltra montana, immò etiam impleuit chronica omnia, annales omnes, omnes nationes & linguas. Hoc Iudæi, Romani & Græci, hoc etiam Turcæ hodie fatentur. Potens veritas, Benedictus Deus veritatis. Sequitur:

dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Sunt nati plerique infantes, præfagium certum præ se ferentes magni alicuius aut probri, aut virtutis, per puerum eum futuri. Hoc se sic habet non solum in populo Dei, sed & in ethnicis. Zoroastres natus primo risit, scilicet suam ipsius stultitiam adumbrans. Inuentor infelix idololatriæ & magiæ, tandem in bello occisus, æternam damnationem, vtriusque inuenti præmiũ, sumpsit. Zoroastres & alij ethnici quanquam certo præfagio diuinitus sint designati, aut in dedecus, aut in decus insignite aliquod abituri, tamen eorum natales tale mysterium non habent, qualia videmus in natalibus miraculosis filiorum Dei. Esau & Iacob sic nati gemelli, vt posterior prioris plantam teneret, Gene. 25. Instante item partu

Pueri plerique præfagium præ se ferunt (sui successus)

Thamar, apparuerunt gemini in eius utero: atque in effusione infantium, alter protulit manum, cui obstetrix coccinum alligauit, dicens: Iste egredietur prior. Ille vero manum retraxit, alteri cedens. Hi & hoc genus alij natales, certum diuinorum mysteriorum habet indicium: quale in partu sancti Nicolai, sancti Ambrosij, S. Thomæ Aquinatis, & aliorum sanctorum patrum catholice traducis, quos Dominus Deus in certam gloriam suæ ecclesie contra hæreticorum vesaniam excitandos, talibus presagiis, statim natos, toti mundo fecit admirandos. Viderunt hic etiam Iudæi gloriæ Dei haud obscurum portentum. Steriles & decrepiti parentes existunt: pater factus mutus, organa vocis recepit, uterque in nominis impositione idem sensit. Chrysostomus dicit, Iohannem nullum vnquam miraculum edidisse, nisi hoc quod parenti loquendi usum reddiderit. Et nostra idem taretur Ecclesia, in hymno canens:

Sed reformati genitus parenti

Organa vocis.

Horum, quæ omnibus manifesta erant, miraculorum consideratione dicunt: Quis putas puer iste erit? De sacramento gloriæ Dei recte senserunt. Abiit enim in prophetam, immo etiam tum exitit propheta, & plus quàm propheta, Helias, angelus, præcursor, baptista & martyr Christi.

Felices, infans, qui te genuere parentes.

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. De parentum sanctimonia vide quæ idem euangelista Lucas præmiserit. Hodie totus mundus verè in maligno positus, de gloria Dei non est sollicitus.

Veniat qui proderit hospes.

Veniet ergo Nemroth impetuofus, veniet Iudas Scarioth, & Simon magus: tales enim meretur hic mundus, tales item excipit, admiratur, & in precio habet. Si educationem liberorum attendas, vides mundum non Christo, sed mammoni, atque adeò vero Antichristo, proles suas deuouere. Patriarcharum exempla hodie nihili facimus. Nolo ergo Isaac, Iacob & Tobie, Samuelis & aliorum puerorum religiosè educatorum facere metionem: Ethnicos verò iudices nostros in medium producam:

*Pærorum
institutio
neglecta.*

cam: Platarchum, qui insignem libellum de puerorum educatione scripsit: Quintilianum quoque, qui hac in re etiam sollicitus extitit: & alij ethnici eius studij præclari, propediem nostri erunt iudices, qui puerorum nostrorum liberalem & religiosam educationem ad eò negligimus. Apud Platonem Demodocus consulit Socratem de Theagis filij sui institutione. Philippus Alexandri Magni pater, nato sibi filio, diis suis gratias egit, Aristotelem se habere insignem philosophum, cui infantem traderet erudiendum. Non sunt contemnenda tanquam minima, sine quibus magna constare non possunt dicit S. Hieronymus. Bonum est, iugum legis Dei portare ab adolescentia, ait Hieremias. Hoc vides in Elisabeth & Zacharia, qui à teneris assuefacti virtuti, in tam felices abierunt senes. Sacramentum connubij non aliter nisi catulicentes & subantes recipimus, vnde etiam sacramentum baptismi ludibrio habemus, & educationem liberorum, asinorum & equorum, immodè etiam canum nutritioni posthabemus. Inde fit vt non Dauidas, non Salomones, Ezechias, Iosias, non Phinees, non Zacharias, Iesos & Onias, mundi columnas, sed Roboamos rudes & cordibus pauidis, Ophni & Phinees delicatulos & molles, mundi calamitates, educemus. Certum est, Turcas liberorum suorum educationem non ad eò negligere. Execrabile hoc malum Dominus Deus è medio tandem auferre dignetur.

Et Zacharias pater eius, repletus est spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Suprà Maria hymnum gloriæ Dei deprompsit, hic eodem spiritu Zacharias hymnizatiua gratias egit, quòd futura erat mater Messia: hic psallit, quia factus pater Heliæ. Ode incipit: Benedictus * Deus. Exordium spirat Hebraïsmum. Dialectus est Hebraïca, Benedictus Deus: pro quo nos dicimus, Gratia Deo, laus, honor, gloria Deo &c. Notum est Hebraïcum, *Baruch Adonai*, de qua re consule nostram interpretationem Psal. Benedict. Deus Israel, tantum est ac si dixerit, Benedictus Deus omnium fidelium, benè uiuentium. Sic hodie dicimus, Deus Apostolorum, Martyrum, confessorum, Virginum, & omnium benè uiuentium. Cornu
quid signi
ficet.

tium. Olim cum totus mundus idola coleret, Deus solus fuit Israel Deus, quia solus Israel coluit vnum Deum. Quia visitauit & fecit redemptionem &c. Visitare, hic significat gratiam perfundere, miseriam suorum attendere, & eosdem asserere. Zopho. 2. Visitabit eos Dominus Deus eorum, & auerter captiuitatem eorum. Sic exponunt visitationem Christi Naimita, Luc. 7. Christus quoque ipse, Luc. 19. Est & alia adhuc Dei visitatio, sed iracundiæ Dei, quando venit prouocatus ad vltionem sumendam de reprobis, Esa. 13. 27. Hiere. 13. 14. Ose. 2. Amos 3 Zach. 10. Denique etiam vocatur visitatio iudicium extremum, 1. Pet. 2. & 5. &c. De prima hic dicitur. Additur ergò, Et fecit redemptionem plebis suæ: Exegesis est. exponit se Zacharias, de quanam visitatione velit sua verba intelligi. Redemptio, profundissimorum mysteriorum vocabulum est. Redimuntur captiui ab hostibus, in seruitutem subacti, in ærarium redacti, depressi, prægrauati & damnati, mortique addicti. Lytrofis nostra omnia comprehendit, & ea dupliciter. Omnia enim mala hæc, & hoc genus plura, cum in anima, tum in corpore nostro ferebamus. S. Lucas redemptionem nostram vocat Lytrofin, Matthæus lytron cap. 20. vbi ait: Filius hominis venit animam suam dare redemptionem pro multis. Apostolus 1. Cor. 1. Ephes. 1. vocat Apolytrofin. Item 1. Tim. 2. Antilytron. Quodque horum vocabulorum, significat precium quod expenditur in redemptionem aliorum. Precium hoc Christus Iesus, Cor. 1. Ille idem, qui nostrum est præmium, quo redempti sumus, est & ipse assertor, redemptor, saluator, lytrota, Hebraicè *Pideon, id est, redemptio, *Podeh redemptor. Facere redemptionē, dialectus est Hebraica. Psal. 3. habes de redemptionis eius modo. Declaratur apolytrofis isthæc Roma. 8. Eph. 4. Apostolus quoque extremum diem vocat ἡμῖν ἀπολυτρόσιως, hoc est, diem redemptionis, de qua & Dominus dicit Luc. 21. Quoniam appropinquabit redemptio vestra.

Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Epexegesis adhuc est verbi in capite hymni positi, Visitauit. Cornu, castrense est vocabulum, & significat alæ aciem. Cornicularius indè, significat eum qui adstat decurioni.

*Cornu
quid si-
gnificat.*

Bacchus quoque victoriosus, pictus & dictus est corniger. Cornua item accipimus pro omnium rerum abundantia & animositate. Ovidius:

Pauper sua cornua sumit.

Hebraismus idiomatico nostro accedit. David vocat Deū cornu salutis, 2. Re. 12. Anna vaticinatur Christi huius cornu exaltandum, 1. Reg. 2. Erigere, hic significat excitare. Deu. 8. Act. 7. Excitabit Dominus prophetā. Prophetam illum fore regem potentem, atque aded cornu populi sui, hoc est, redemptorum propugnatorem, rectorem, ducē, &c. vides Psal. 2. Hic. 23. Zac. 6. Cuius regnum sit perpetuum, Dan. 2. 3. Contra cuius regnum ne inferiorū quidem portæ præualebunt, Psal. 117. Mat. 21. Domus David, est stirps & prosapia ea nobilissima, vnde Ioseph & Maria orti, Mat. 1. Luc. 1. 2. 3. Ro. 1. Christus quoque ipse, David vocatur, Ose. 3. Ps. 110. Mat. 22. Domus David, propriè est ecclesia catholica, possessio Christi.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius. Scriptura sua verba probat: sic enim robur suum o. de accepit. Cæterum omnis homo vanitas, quid nisi futilia loquatur? Sic & Maria virgo verba sua scriptura fulcit, Abrahæ mentionem faciens. Respicit Zacharias ad semen Abrahæ, ad *Siloh* Iacobi, ad *Nabi*, hoc est, prophetam Moïsis, ad thronum & semen Davidis. Ad filium item virginis ab Esaiā signatum, respicit. Item ad regem sapientem, de quo vides apud Hieremiam. Huc & quadrat hoc, quod de pastore unico prædixit Ezechiel: conuenit & huc, quod Daniel vaticinatus est de iudice antiquo dierū. Nec procul abesse signat, quod dictū est de Bethlehē in Michæa, &c. hoc genus ordine ab æterno, hoc est, ordine suo à superioribus seculis vsq; ad ea tēpora, Hebrai. *Meolam*, Græcè ἀπὸ ἀϊώνος. Prophetæ etiā sancti vocantur Ephe. 3. 1. Pet. 3. De ore prophetico vides Acto. 3. Ibidē lege de adimplerione oraculorū prophetarum cap. 10. Item Luc. 24. Mat. 11. Rom. 3.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt Redempti nos. Dixerat excitatū cornu, visitasse Dominum Israel, sumus de &c. Hic omnium horum rationem assignat, nempe *manu sua* quocuplicem. Prima est, redemptio siue salus. Ne quis *tana.*

redemptionem de temporali aliqua & carnali assertione intelligat, hic eam vocat salutem, quòd potissimam ad spiritualia ea, nimirum quæ animæ sunt, respicit. Hic cælesti cornu opus habuit genus humanum. Cæterum aduersus hostes carnales, Iosue, Othoniel, Ehud, Sangar, & alij duces sufficiunt. Immo etiam mulierculæ hic aliquid possunt, Delbora, Iahel, Iudith, Hester &c. Sed lucta est nobis cum spiritibus, quibus est potestas aëris, Eph. 2. Satanas impugnandus nobis, à cuius violentiis nos noster Iesus redemit, Acto. 26. Ex ore draconis, Apocal. 16. Principi mortis nos subtrahit, Heb. 2. Venit fortior, & vicit armatum illum fortem, de quo Lucæ 11. Huc facit insultatio ea, quæ apud Apostolum est ex Oseæ accepta: Vbi est mors stimulus tuus? Hunc Sotera expectarunt omnes saluatores, Iosue, Othoniel, Ehud & alij omnes. Obserua hic tautologiam Hebraicam. Ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Quòd multorum osorum mentionem facit, primò respicit ad cacodæmoniorum innumerabilem vim. Vndè ait apud Luc. 8. Legio est mihi nomen. Item Mar. 5. De malignis spiritibus & angelis, vide Ephes. 2. 1. Tim. 4. Mat. 25. Psal. 78. Accedit huc, quòd vanitates huius mundi sunt infinitæ. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Sanguines, & non sanguis, sunt in mundo, quia sanguis sanguinem tetigit. Sic non solùm diabolus, sed & mundus & ipsa caro nobis insidiantur, hoc est, odio habent.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Hic addit secundam & tertiam rationem erecti cornu salutis. Gratificatus Deus patribus, fecit misericordiam suis electis. dicit:

Me liceat casum miserari insontis amici.

Nihil æquè officij illis gratius præstare poterit. Cornu enim hoc salutis præualet portis inferorum. Vndè ait Si meon: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quid aliud sperauerunt, quid aliud optauerunt Adam, Noë, Loth, Abraham, Isaac, Iacob, &c. quàm Christum?

Facere misericordiam qui sit.

Abraham vidit diem Christi, & gauisus est. Facere misericordiam, Hebraismus est Exo. 20. Iudic. 1. Ruth 1. 2. Reg. 9. 3. Reg. 3. 1. Para. 19. Beneficiū facere, bene me-

veri de aliquo. Tertia causa erecti cornu, est testamenti confirmatio. Memorem sui pacti se Deus declarat, de testamento fœderis sui, quod cum patribus pepigit Deus, vide Gen. 15. 17. Leuit. 27. Deut. 7. 2. Reg. 23. 2. Par. 13. Memor etiam fuit pacti sui Deus, Exod. 6. Leuit. 26. Tempore verò Zachariæ, penitus testamēti sui memor, quod per filij sui aduentum in hunc mundum, illustrauit. De testamento istoc vide item Esa. 55. Hier. 31. 33.

Iusurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrorum, daturum se nobis. Iusurandum de quo hic agitur, habes Gen. 22. vbi dicitur: Per memetipsum iurauī, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in litore maris. Promissionem eam vidit Zacharias Dominum præstitisse fidelibus, qui sunt verum semen Abrahæ. Spiritu vidit semen verum spirituale fidelium per verbum Dei genitorum, quod stellas cœli & micæ arenæ maris superat. Cæterum & semen Abrahæ, Israel totus, cui cum primis natus & datus est Christus. Subindè in scriptura legas Dominum iurasse Abrahamo, Isaac, & Iacobo, Exo. 33. Deut. 7. 29. 31. Quod verò dicitur de terra Chanaan, mysticè intelligendum de regno cui excidit satan. Filij Abrahæ nunc sunt credentes: sic & regnum Chanaan allegoricos accipiendum. Iurauit & Dauidi Psal. 89. 110. 132. Dauidi autem iurauit æternum regnū, vtiq; spirituale. Atque hæc de quarta ratione cornu erecti.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. Quinta hic exponitur ratio. Voluit nos Deus sibi soli spiritu libero seruire: quod nihil aliud est, quàm verè regnare. Rogas vbi hæc promissio memoriæ tradita inueniatur? Respondeo, Gen. 22. vbi dicitur, Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Qui nostri inimici sint, supra audistis. Inimici item hominis, domesticus eius. Manus, secundum Hebraicum, *Iad*, etiam in scriptura significat potestatem: Vt, Tibi in manu est, In manu tua est, &c. Significat & violentiam, vt manum inferre. Significat etiam exercitum. Vndè dicitur, conferere manum, pro bellum gerere. Sine timore. Nunc non timebimus quid nobis faciat caro. Nō turbetur cor

Iusurandum Dei.

Manus quid significat.

POSTIL. V VICEL. SVP. EVANG.

vestrum, neque formidet. Confidite in me, quia ego vici mundum, Ioan. 14. Charitas omnem timorem mittit foras. Insultamus etiã hosti diabolo, morti & inferno.

In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Liberati à timore hostis, æquum est vt timeamus assertorem, non quidem seruili timore, sed liberali. Ab-eant, qua digni sunt, in malam crucem hæretici, qui hũc timorem nobis abolere student nomine solius fidei, vt ex filiis Abrahæ, filij Belial efficiamur. Requiritur hic etiam sanctimonia & iustitia, nempe bonorum operũ. In sanctitate, Leui. 19. 1. Pet. 1. Et iustitia, quia Dominus iustus in medio nostri, Soph. 3. Sanctimonia, quantum ad ipsum. Ipse sanctus est, vult ergo sanctum cultum. Iustitia, quãtũ ad proximum, factio nimirũ: quia qui facit iustitiam, iustus est. Sanctimonia, mentis, fidei & spei: iustitia, charitatis & fructuum fidei seu spiritus. Apostolus Tit. 2. addit sobrietatem. Sobrios, iustos, & pi-os vult nos seruire. De cultu Dei vide Matt. 4. Roma. 6-7-12. Col. 3. 1. Theff. 1. Heb. 9. Non intellige momentaneum cultum, sed accipe æternum, perpetuum, assiduum, &c. Q. d. Vitam quam porrò viuemus, illi viuamus, 2. Cor. 5. Mortui seculo, Galat. 6. mortui peccato, Ro. 6.

Et tu puer propheta altissimi vocaberis: preibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Hactenus dixit de Messia, iam apostrophat ad Heliam, de quo Mala. 4. Matt. 11. Mar. 9. Luc. 1. Primò de Domino, dein de filio suo. Plus tribuit Domino, quemadmodum etiam euangelista facit Ioannes cap. 1. Messias sine prodromo venire non debuit, nec alium præter Ioannem habere, quemadmodum & nullam aliam matrem, quã electã eam & præelectam virginem Mariam. Supra dixerunt, Quis putas erit puer iste? Respondet pater: Propheta summus & prodromus, erit hic meus filius, Messie filij Dei & filij Mariæ nascituri propediẽ. De pparatione vię, vide Matt. 3. Mar. 1. Luc. 1. Ioã. 1. quæ omnia ex Esa. 40 sunt accepta.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Præuidit Zacharias tempus abolitionis legis imperfectæ instare, cessabunt oblationes ouium, bouum, volatiliũ, thuris, & hoc genus rerum. præstò enim est agnus Dei. Agnum eum tu puer demonstrabis. Nec de-

monstrabis modo, sed & viam illi præparabis, hoc est, pœnitentiæ dignos fructus docebis, & aqua baptizabis. Exaltabis quasi tuba vocem tuam, & clamitabis, pœnitentiam agite. Scientia salutis est, euangelij exordium, at que adeo euangelion, testimonium de Christo, & morum formatio: nempe, Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Item, Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. Item, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Hac scientia milites, publicani & turbæ sunt instituti, & facti via plana Domino Iesu. In remissionem peccatorum. Qui aliter docet, Iouinianista est, non Christianus: nec profert scientiam salutis, sed stultitiam sui cordis mortiferam.

Via præparare Domino quid

Per viscera misericordia Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto. Mentione peccatorum facta, hoc adiicit, nè quis Ioanni remissionem peccatorum adscribat, & nè quis eam ex sacrificiis legalibus estimet, cõtra hoc quod Psalmista ait: Vtique holocaustis non delectaberis. & hoc eiusdem, Tibi soli peccaui, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pontifex bonus, sibi non arrogans honorem diuinum, hos & illos casus reseruans. Vnde ergo Ioanni officium præcurrendi ad dandam scientiam salutis plebi Dei in remissionem peccatorum? Per viscera misericordia Dei nostri. Nullo beneficio legis, nullo merito suo, vel meo, vel etiam patrum. Deus solus remittit peccata gratis suapte clementia. Alludit huc quod Apostolus ait: Tunc cum adhuc peccatores essemus, dedit filium suum pro nobis. Viscera miserationum significant intimam & profundissimam compassionem, quæ nos vocamus cordolium & penitissimam cordis commotionem. Sic mouebatur Ioseph super fratribus suis, Genes. 43. mererit super filio suo, sub iudice Salomone, 3. Reg. 3. Talem requirit Apostolus ex nobis, Philipp. 2. Coloss. 3. vbi textus habet *ἠλατρυχὴ ἠκτιρῶν*. Sed hic apud Euangelistam legitur *ἠλατρυχὴ ἠλίου*. Alterum habet viscera miserationum, alterum viscera misericordia. Huc respicit sanctus Petrus, monens vt simus *ἡ ἠλατρυχοί*, i. intimi, misericordes, 1. Petr. 3. Immisericordem item esse, Ioannes 1. capite tertio, vocat claudere viscera. Olim quoque iisdem

Gratia Dei gratuita.

Oriens
Christus

visceribus descendit, Exod. 2. & 3. sed tunc descendit in umbra, hic vero in corpore ipso. Oriens descendit, quia in ipso innouata omnia, Zacharias pontifex, ex Zacharia propheta Christum vocat Orientem, cap. 3. *Isch zemah*, id est, vir germen, cap. 3. & 6. Septuaginta reddiderunt, *ὁ υἱὸς ἀνατολῆς*, id est, vir Oriens. Septuaginta sequutus Zacharias. Cæterum vnus est sensus. *Zemah*, id est, germen dicitur iuxta hoc, quod & apud Euangelistas dicitur: Puer autem proficiebat ætate & sapientia, &c. Oriens dicitur ratione Deitatis, qua illuxit huius mundi tenebris. Orientem Hebræi vocant *Mizrah*. Vide Esaiam 43. 46.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Ad quid oritur Sol? Nonne vt pellat tenebras, & lucem seculo reddat? Simili ratione natus & datus est huic mundo Christus. Tenebræ quæ sint, vide Ioan. 3. Et ea quæ dicta sunt, satis ostendunt quid tenebræ existant. Peccata sunt, sanguines sunt, mors sunt. Nam & mors tenebræ dicitur & æternus somnus. Umbra mortis & tenebræ, idem significant. Vult tautologus esse, vt sensa dicendo exprimat. Umbra mortis, non procul abest ab æterna morte. Illucescit illis Christus, id est, iustitia, vt sua speculentur & videant flagitia. O sacra Epiphania, quam celebrat Apostolus ad Tit. 2. & 3 vbi ait, Epiphane, id est, apparuit vel illuxit gratia saluatoris Dei nostri, &c. Declarat & hic locus adimpletam prophetiam Esaiæ: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, cap. 9. Matt. 4. Umbram mortis, Hebræi vnica exprimunt dictione *Zelmaueht*, de qua vide Psa. 88. Videtur Zacharias loqui verbis psalmographi. Nam & in Psa. 14. via pacis exprimitur. Dirigere pedes siue gressus, item in psalmis frequenter legitur. Est & ille loquendi modus frequens apud Latinos. significat certum iter tendere, viam rectam ire. Nullus nunc error est, postquam via factus est Christus. Ridemus hodiè Pythij Apollinis oracula, damnamus auguria, execramur extispicia, quia illuxit nobis ipsa veritas, de qua ait Psa. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Christus nobis lux, via, veritas, vita & omnia. Hunc quisquis sequitur, non palat. Faxit Deus viam il-

iam teneamus, ad suam folius gloriam, Qui viuit & regnat in sancta Trinitate vnus & idem per omnia secula, Amen.

NATIVITATIS IOANNIS,

Luc. I.

Elizabeth impletum est tempus pariendi, &c.

¶ *Myfici sensus sectio.*

Gratia Dei discernitur in

Merito virtutis parentum,

Congratulatione affinium & cognatorum,

Impositione nominis Ioannis,

Dono prophetandi Zachariae,

Magnitudine prophetiae,

Excellentia singulari prolis in utero sanctificatae.

¶ *Declaratio.*

1 *Meritum bonorum operum, gratiae Dei non aduersatur: immo gratia Dei in ipso merito magis declaratur. Nam si meritum nullum bonis operibus detur, gratia Dei maxima parte, immo tota, marcida (immo mortua) conspicietur. Gratiam Ecclesia praeuenientem, prosequentem, & perficientem docet. Si meritum negetur eorum qui perseverant Dei gratia, nequidquam gratia nos ante omne meritum praeueniens, & nos in virtutis cursu prosequens, predicabitur. Sequeretur enim, & eos qui virtutum expertes sunt, aequè gloriosos esse, atque sunt Dei serui & amici strenui. Salutaris est itaque predicatio meritorum iustitiae. Scriptura eius praedicationis vndiquè argumenta plurima fundit. Elizabeth ex merito fit praegrans, & Zachariam tantae prolis parentem facit meritum. Chrysostronus testis est, Zachariae merito, prolis, reddita organa vocis. Meritum enim Deus respexit praestandum tanquam iam praestitum. Hic vero vides, meritum omne nostrum, esse gratiae Dei, quae quo erga nos est maior, hoc & maius nostrum esse meritum. Adde quod suum opus (vt cum S. Augustino loquar) in nobis coronat. Sanctificauit Ioannem in utero & merito Pueri, qui nondum boni aliquid edidit, Patri loquendi facultatem restituit, utique gratiae praedestinatae respectu, utique per Christum, cuius merito gratiam eam Ioanni praedestinauit. Origenes dicit, Historiam Natiuitatis Ioannis non persunctoriè percurrendam. Paucis verbis Euangelistae plurima comprehensa, nobis reliquere perscrutanda. Nihil de Educatione, de Ablactatione, & hoc generis rebus, memoriae commendauerunt, sed paucis dicitur: Spiritus*

POSTIL. V VICE. SVP. E V A N G.

*Domini expulit eam in desertum, ceriè puerum: quanquam hoc li-
 tera Euangelica non exprimit. Genes 21. fit mentio ablactationis
 Isaac, 1. Reg. 1. fit ablactationis Samuels. Iterum Origenes in Lu-
 cam homil. 9. arguit auctus Gratia & incrementa virtutum, E-
 lizabetha & Ioanni provenisse ex Maria virginis presentia.
 Valdè, inquit, indignum est, in hora puncto exultare infantem,
 repletamq; esse Spiritus sancti. Elizabetham: per tres vero menses,
 nec Ioannem nec Elizabetham, ex vicina Matris Domini & ipsi-
 us Saluatoris presentia profecisse. Simile dicit Ambrosius lib. 2.
 Offic. cap. 20. de Iesu filio Naue, nempe quod Moyses presentia
 fuerit sanctificatus. Solam fidem tradunt noui euangelista, Asi-
 nos arguentes eos, qui meritorum tradunt rationem, quasi scriptura
 vndique sit eradenda, Meritorum docens varietatem. Mens, in-
 quisant, Christus, etiam nepotes & lenones*: quasi Christus patro-
 nus venerit nequitia Christum regem gloria instar auicula inuo-
 lucris filo alligata, pœcorum ritu tractant, & quoquo impellunt.
 Mercatores in negociis fratrem circumuenientes, suum sibi Chri-
 stum vendicant solum. Milites nobilitastri, rapientes, & terram
 celo miscentes, Christum miseris rusticis ademptum, sibi soli rsur-
 pant: quasi Christus non respiciat Agricolas eos quos supprimunt,
 principes sese Petros & Paulos putant, etiam deuorando pauperes
 vivos, manibus sanguine stillantibus. Ita gratia Christi fit fabula
 anilis, luxus atque nequitia pretextus, simulac meritorum bonis ope-
 ribus negatur. Contra hoc tantum malum historicus Euangelica
 probè discutiat, & vndique meritum, vndique Gratia Dei in-
 uenietur. Prædictum est, in natiuitate pueri multos gauisuros: quod
 parentum gaudium, adscribitur Gratia Dei, non verbis hu-
 manis. Vnde & nomen Ioannes imponitur puero, qui Christo præ-
 cursor est præsignatus. Ioannes, gratiam sonat. Lex & propheta
 vsque ad Ioannem, à Ioannis tempore graua gratiam trudit: In
 Ioanne præsignata est vocatio gentium, Esa. 49. Merito ergo Ec-
 clesia hunc diem festa prosequitur leuitia. Ioannes Belet, dicit re-
 liquias sancti Ioannis Baptiste, in ciuitate Sebaste esse combustas.
 Vnde in plerisque locis ignem accendere homines in gloriam Dei,
 Ioannem adhuc integrum esse in ipso Deo designantes. Alij flo-
 res, alij ferta suspendunt, Ioannem florere adhuc in Deo signifi-
 cantes. Pius ritus, nemini nisi hæreticus Iovinianus & Saracenis
 aduersus. Faxit Deus, vt hunc ritè citra superstitionum abusus cu-
 stodiamus, Amen.*

IN FESTO SS. PETRI. ET PAVLI

apostolorum principium, epistolaris

lectio, Act. 12.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia, &c.

P R A E F A T I O.

EXordia talia ecclesiae, vides praedicta per Esai. cap. 49. Capi, caedi, occidi, & contumelios omnigenis profundi, patribus primitivae ecclesiae rarum non erat. Calix is etiam a propheta Davide erat praenunciatus, Psa. 115. De calice istoc qui bibere recusauerit, Christi minister esse non poterit, Luc. 14. In patientia oportet ut animas nostras possideamus. Semen in patientia profert fructus suos. Qui vitam suam perdidit in hoc seculo, inueniet eam in futuro, Matth. 10. Luc. 23. Item talia praedicit nobis, Ioann. 16. Praedictum est & poculum hoc Daniel. 12. Eius poculi exempla nobis hodie duo proponit celeberrima, Iacobi nimirum & Petri apostolorum. Alter horum ab Herode occisus, alter in carcerem missus, ab angelo inde liberabatur. Discimus inde, verum esse quod ait, Capillos capitis nostri esse caelesti patri dinumeratos. Quod cum sciamus, non ignorabimus & hoc verum esse quod ait, animam nobis tyrannos non posse auferre: sed nos ubi ultro animas nostras propter veritatis testimonium impendamus, posthac nos easdem in aeterna gloria inventuros. Salutare euangelion. eius nunc porro exemplum & sacram historiam videamus.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis, gladio. Contigit hoc in flore ecclesiae: tunc, inquam, cum non solum Iudaea, sed & nationes gentium erant euangelico candore illustratae. Multi tunc in Antiochia, Cornelius in Caesarea Christum profitebantur filium Dei. Vidit & inuidit synagoga, per diabolum anguem veterem instigata. In iram suam se coluber collegit, videns se vna cum synagoga etiam anitire gentium conciliabula, latronum speluncas. Rex Herodes diaboli aula, superba diaboli inuitatus, ita, cum propter Iudeorum tum gentium tam grandem, tanto regi non ferendam, iniuriam, Iacobum fratrem Ioannis, Zebedaei nempe filium, capitis supplicio affecit,

Cruce in ecclesia non insolens est.

*Tyranni Euangelion perse-
quuntur,
sed non im-
pune.*

POSTIL. VVICEL. SVP. EPISTO.

tanquam reum maiestatis. Egregius assertor tēpli Hiero-
solymitani & ethnicorum phanorum. Minorem Iaco-
bum, dictum fratrem Domini, postea etiam ē templi ro-
stris deturbauit. Heros ille insignis, diaboli primogeni-
tus, Herodes tertius fuit, sub Caio Cēsare degens. Non
fuit filius Herodis secundi, sed primi abnepos, nempe fi-
lius Aristobuli. Secūsus, fuit Ioannis Baptistæ occisor,
Christi derisor, degit sub Tiberio. Primus, sub Augu-
sto mundum infecit. is autem Innocentum extitit inte-
rempor. Tertius, Apostolorum infectator & parrici-
da, phthiriasi morbo, quem pedicularē appellant Lati-
ni, periit. Pheritima tyrānissīma mulier, & nescio qui alij
insigniter nocentes homines, istoc morbo sunt cōsum-
pti. testis Halycarnas. libro 4. De fato Herodis habes
Actorum 12.

*Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere et
Petrum Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset
misit in carcerem: tradensque eum quatuor quaternionibus mi-
litum custodiendum, volens post pascha producere eum populo.*

Obserua hic impleri verbum Christi: Iuuenis cum
esses, cingebas te, & quod volueras, ibas: senem alius cin-
get, & quoquo trahet, Ioan. 21. Heros nobilista, sangui-
nis humani sititor, puluis cruore maceratus, populi au-
ram captaturus, populo gratificaturus, apprehendit Pe-
trum. Vide pie catholice frater, q̄ parua res videatur ty-
rānis Nemroithis, effundere sanguinē humanū. Vide quā
ti auram faciant popularem. Vide quā in procliui sit
heroibus causam aliquam inuenire, si cui manus libeat
iniicere. Iesum nostrum Sotera, tanquam reum cōdem-
nauerūt maiestatis Mosis & Augusti. Petro itidem, qua
periret, culpam aliquam proculdubio impegit. Iudæi
quia potētes, quia diuites, digni omninō propter quos
piscator obscurus & inops extingueretur. Iudæis Petrus
leo fuit in via, & spina in oculis. nouit hoc Herodes.
Occiso ergo Iacobo, statuit etiam interimendum Pe-
trum, potissimū cum videret hoc cupere Iudæos.
Quatuor quaterniones, faciunt sedecim. Pōterant tot
armati inermem vnum seruare. Vide, sapientia sua nego-
cia quomodo omnia ritē & cautē peragat. Fecit ad hoc
quod duabus miserum catenis cōstrinxere. Item, quod

*Tyrannis
parui mo-
menti res
est, sangui-
nem effun-
dere hu-
manum.*

cum in talem lacum coniecerunt, cui ferrea esset ianua. Poterant duri milites vnum atque alterum diem vigilare: neque enim multum temporis Petri vitæ erat concessum. Statim à paschatis festo Herodes Petrû in optatum Iudæis spectaculum erat producturus. Scilicet pharisæi sancti homines, duo statim succedentia festa machinabantur. Alterum victimæ Mosaicæ, alterû victimæ Christi. Hoc spectaculo siquidem putabant se obsequium præstituros Deo, Ioan. 16. Sic etiam olim fecerunt prophetis suis. Matth. 5. 23. denique ipsi Dei filio, Matth. 27. Sed Dominus consilium Achitophelis dissipabit. Non est abbreviata manus Christi, vt saluare nequeat. Pilatus non habuisset vllam in Christum potestatem, nisi sibi data fuisset desuper. Herodi iudem nisi supernè potestas data esset, Petro manus haudquaquâ intulisset. Videamus itaque sequentia.

Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Ira synagogæ magna, non minor ambitio Herodis, maxima diaboli instigantis malitia. Quis ergo ex tantis periculis eripiat Petrum? Nõne qui omnipotens, saluare potest? Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulatione, ait Psalm. 45. Quis Iosephum à fratribus circumuentum, & ab adultere calumniis liberauit? Quis Dauidam à Saulis ira asseruit? Totûmque Israel, cû vexari tempore Sopherim ad Dominum clamarent, vindicauit? Quis Iudith, quis Hester & Mardocheum, Susannam, & hoc genus alios qui ab hominum insidiis vindicauit? Quis Ioanam à ventre ceti reduxit? Quid Iosaphat rege clarius, & quid eo ipso infelicius? adeo ab Ammonitis & Moabitibus premebatur, oppida quatuebantur, vrbes diripiebantur, & ab hostibus omnia deuastabantur. Et vnde venit illi de tantis tyrannis triumphus? quis venit illi auxilio, * qui protexit? Deus, qui protector est omnium se inuocantium. Cû ignoramus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos nostros ad Deum extollamus, 2. Paral. 20. Oratione fidelium Israelitarum *Ecclesie* Iosaphat triumphauit, haud secûs quàm Moyses Amale. *armorum* chitas in Raphadim, orando prostrauit. Oratio sæpe *pars, ora-* numerò sola & mera, circa arma vincit hostes. Exo. 17. *119.*

Iosu. 6. Non ab re David, Psalm. 106. hæc verba, Cùm tribularentur, clamauerunt, & exaudiuit eos, & c. toties reperit. Supplices literas hic ecclesia nullas misit Herodi, sed supplex fuit Deo. Idque sine ꝑ omissione. Oportet semper orare verum adoratorem. Orabat ecclesia, vt Petrum diutius rectorem habere mereretur. Cæterũ de temporali vita nihil tristabatur, certa potiorẽ instare piis. Apostolus quoque Paulus ait, hoc magis esse necessarium. Philippẽ. 1. Similem ob causam Petrus postea excitauit sanctum Maternum, primum Germaniæ catholicam. Obserua hic, Lucam paucis verbis quatuor perstringere: primò preces, secũdò precum sedulitatem, tertidò precum sedulitatem ad Deum factã esse, quartò precum sedulitatem ad Deum factam pro Petro. Alij aliorum opera ferant, compati sibi habent membra corporis eiusdem. Vides hic litanias Ecclesiæ fundari. Quid sanctius Petro? Petrum Dominus Iesus ecclesiæ precibus voluit dari: & impurus quispiam homo, ecclesiæ intercessionem audet spernere? Dicis, ecclesiæ militantis preces valere. O mortue, qui tibi diuos mortuos fomnias. Ecclesia militans, etiam triumphantis ecclesiæ preces, easque præcipuè, postulat. De ecclesia militante sese non esse declarat, qui de triumphantis meritis & gloria dubitat. Debemus tamen & nos, alij pro aliis, Dominum Deum suppliciter precib⁹ nostris sollicitare, Ephe. 4. 1. Cor. 12. Iaco. 5. Sequitur:

Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Sabbatho ex-

actõ, hoc est, octaua sabbathi iam instante, Herodes sabbatharius Petrum erat producturus, putã ad spectaculum aliquod Iudæis gratum. Attende quale Pascha Herodes celebrauerit. Quis credat Herodianam eam maiestatem hic peccauisse? Quis non potius crederet, Petrum piscatorem, reum extitisse? Fratres mei, ne cum respectu personarum habeatis fidem Domini Iesu Christi. Nam id si feceritis, facti estis iudices cogitationum iniquarũ, Iac. 2. Audite fratres mei dilecti: nõne Deus elegit pauperes mundi huius diuites in fide, & hæredes regni? Ecce tibi Petrus hic inter milites duos iacet vin-

*Beatorum
pro nobis
intercessio
non asper
nanda.*

*Potẽteshy
pocrite &
veritatis
impatien-
tes.*

culis constrictus tanquam latro aliquis insignis. Herodes in foro & choro semideus, omnibus est admirationi Rectè iudicate filij hominum. Veritas odium parit, Euangelium item reges seculi exasperat. Ioseph, Hieremias, Michæas, Ioannes Baptista, & alij plerique pij leguntur afflicti in carceribus. Qua verò causa, & à quibus sunt incarcerati? Nónne propter veritatem, propter zelum sacrosanctum Dei Israel? Nónne à regib⁹ & summatibus, quorum iustitiam & veritatem erat defendere, atque omni iniquitatì & violentiæ obistere? Vtique à regibus & præpotentibus: carcerem siquidem nõ habet priuatus. O magistratus periculosam conditionem. Dic, nõ licet tibi adulterari, non licet tibi ciues & domesticos Dei calumniari, & videbis tibi bella parari. Quid dånatione, quid exilio miserius? Atqui exilio dånatur P. Rutilius, quòd publicanos vectigalia asperius exigere prohibuisset Asiænæ prouinciæ præses. Conspirarunt in eũ publicani, læsæque maiestatis reũ egerunt, quòd vectigalia populi Romani exigere prohibuit. Vult Romæ accusatio. vrbe eiectus pauperũ patronus. Dicat hodie aliquis euãgelicaster, scribat scribarũ apostolaster quispiã aduersus pompam, aduersus comestationes assiduas, luxum & crapulam aulicam, domos viduarum cum ipsis viduis & orphanis, infelices pagos cum miseris ruricolis absorbentem. Prædicans aliquis clamorosus noui euangelij, declamet contra tot noua (quæ indies succrescunt) vectigalia, taxet liberè præfides & publicanorum vulgus, miseram plebem horrendum supprimentes, & tanq̃ gramen calcantes: & videbũt se minũs fauoris apud Herodes apud Herodiades, suos habituros. Nũc cum solam & meram subinde fidẽ ingemiuent, admiratione Herodianorũ oculos obstupesciũt. Danda quẽ Cæsaris sunt, Cæsari: sed sic, vt etiã quẽ Dei sunt, Deo relinquuntur. Libertas dicẽdi & inuehendi in tyrannos, Dei est: regimen ecclesiæ, Dei est: pontifex, & ritè initiati per traducis seriei episcopos, sacerdotes, vicarij Christi sunt & ecclesiæ rectores. Antichristi itaque sunt, libertatem docendi, arguendi & increpandi tempestiuè & intempestiuè, impediẽtes. Antichristi sunt, sacerdotium imperio subijciẽ-

*Euãgelica
striveri pa
rastastri.*

*Antichristi
stusest, quib
libertatẽ
docẽdi re-
moratur.*

tes, ex emporio Noringenbergensi & ex lyceo aliquo theologastrorum quoruncunque noui euangelij, metropoles & dioceses facientes. Videte fratres Petrum in carcere: ne terreamini, qui traduce sacra & catholica professione Petri successores estis. Apud Dominum copiosa est redemptio. Hoc saltem satagite, ne vt fures & latrones, vt scortatores & adulteri, in carceres coniciamini. Cæterum verbum Domini non est ligatum. Sequitur:

Et ecce angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussitque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catena de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere te, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum. Existimabat autem se visum videre.

Oratio ecclesie est efficax.

Vides verum esse. quod Iacobus ait, plurimum posse orationem iustorum, cap. 5. Efficax ecclesie oratio, quæ angelum euocauit in carcerem cædum è cæli palatio. Bonus angelus, qui venit cõsolari & eripere iustos. Angelus talis bonos non deserit, Gene. 24. Angelus talis Iacobum liberauit ab omnibus periculis, Gene. 48. Fortitudinè angeli sensit Sennacherib, 2. Para. 32. Tales angelos bonos & fortes, mittit Deus suorum seruorum assertores, Psalm. 33. Olim hoc expertus Daniel, qui ait: Misit Dominus angelum, & occlusit rictus leonum, ne mihi nocerèt, quia coram eo inuenta est iustitia in me, cap. 6. Hic hoc ipsum experitur S. Petrus, præ inconstitutine dormiès. Antea in horto montis Oliueti tristis quoque dormiuit. Proprium hoc est tristitiæ, vt hominis oculos degrauet. Verba angeli ad Petrum, sunt: Surge cõfestim. Zona te cinge, caligas tuas indue, vestimentum tuum in te conice. Denique ait: Sequere me. Similia propemodum audis in exitu populi ex Aegypto. Sic festinè exeundum è malorù synagoga, & è medio Babylonis, Esa. 52. 2. Corint. 6. Properè item Sodomam exiuit Loth, Genes. 19.

Paga mansuãda ex impiorum contubernijs.

Verbum Domini quisque sequatur. periculis nemo se temerè ingerat. Pœnitendum subito. Hæreticorum cõciliabula, tanquam pestem, longè fuge. Citò fuge & longè, est prouerbiũ. Denique etiam suo arbitratu se ne-

mo iudicet. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Iussit surgere, & vt se præcingere possit & calceare se caligas suas, Dei nutu catenæ dissoluebantur vltro. Miraculum hoc æquè magnum est, atque murorum Hiericho quæuersio, Iosu. 6. Manus sanctæ, quibus pedum commissum fuerat pastorale, quibus credita fuit benedictio, quarum impositione sacerdotes & Episcopi erant initiandi, quæ charismata spiritu sancti dispensare debebant, tanto miraculo oportuit illustrari. Petrus ipse manuum suarum æternam gloriam ignorauit, etiam totius mundi regibus piis quibuscunque osculandarum. Nesciebat quia verum est quod fiebat per angelon. Ante etiam angelorum visionem vidit Acto. 10. Putabat itaque se tale aliquid iterum videre. Vndè apparet, nihil de liberatione Petrum sibi spondidisse. Iacobum, immò Christum, sibi putabat iam sequendum: quod dico, vt intelligas Petrum ecclesiæ precibus liberatum.

Transientes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes, processerunt vicum vnum. Et continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudeorum. Sic & olim Israel ex seruitute Aegyptiaca educebatur gloriose, Exo. 14. 15. Non hæc liberatio apostolo fuit infrequens. Antea enim ferè ita liberatum legis Act. 5. Nihil hic Herodis cura, nihil obfuit custodum turba. Matt. 28. custodes cohortis sepulcrum Christi cingentes, Christi resurrectionem impedire non poterant, neque hic Petrum retinere valere. Talia multa vidit primitiua ecclesia. Liberabatur Petrus præter spem: vndè putabat angelicam presentiam saltem esse spectrum & speciem. Sed re ipsa experiebatur, Deum etiam præter spem liberare, & ecclesiæ suæ declarare maiestatem. Ecclesia fideliter quidem precari, sed neque Dominum tentare. Petrus videns se verè creptum de manu Herodis, venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati & orantes. Tam præclarum miraculum liberationis sancti Pontificis & apostolorum Principis sancti Petri, dignum quo etiam celebres

POSTIL. VVICEL. SVP. EVANG.

fiant Maria sancta foemina & Rhode decentissima puella. Altera Heuæ opponenda, altera ancillis pontificum Annæ & Caiphæ: Altera ecclesiam Christi domi suæ congregare solita, eam quæ per Heuam è paradiso est expulsa: Altera de Petri liberatione exultat, quem vanissimæ pontificum ancillæ vinculis constrictum voluerunt. Petrus eccè pulsât fores. audita voce Petri, puella Rhode exultat præ gaudio, statim euangelizat Dei gloriam, Dei magnalia. compos voti facta, gaudet & Domino gratias agit ecclesia. Virtus turpis repulsæ nescia. Nunciandum hoc tantum miraculum & fratribus: quare & Iacobo, quia Episcopum eius loci pontifex primò cohonestare voluit, vt vnà cum ecclesia Domino Deo gratias ageret, quod per multos fieri debet, 1. Cor. 1. Simile prope modum exemplum vides manus Dei, qui Paulum & Silam Philippis & alibi è vinculis liberauit. Flagellati, & in duris carceribus angustati, Dominum inuocauerunt, & exorauerunt. Et nos pro nobis mutuo

*Beatorum
pro nobis
intercessio,
non est cõ-
remèda.*

Domino Deo supplicemus. Sanctorum intercessionem, quam per Christi spiritum meruerunt, non recusemus. Vna nobiscum adhuc sunt ecclesia, quoniam & vna nobiscum ecclesia est vetus illa sancta, in Christum aut implicitè aut explicitè credens, ecclesia patriarcharum & prophetarum. Non præterit nostra afflictio sanctos, quia adsunt Soli, cui nihil est obscurum. Non contemnant nostra mala, quasi nobis non compatiantur. nam tamen si sint impassibiles, non ergò statim etiam sunt incompassibiles. Nulla ergò ratione secludimus eos intercessores, quoniam hoc ipsum redundat in gloriam Dei omnipotentis, per Christum Dominum nostrum, Amen.

IN EODEM FESTO SS. APOST.

Petri & Pauli, Euangelium, Matt. 16.

Venis Iesus in partes Casarea Philippi, & interrogabas discipulos suos, dicens: &c.

P R A E F A T I O.

OVtinam misericordia Dei omnes vnà in perfectionem, cuius exemplar nobis Christus Iesus intercedit, adolescamus charissimi. Ad hoc certè omnibus viribus contenderemus, Mat. 5. Philip. 3. Col. 14. Verum dum ipsum Christum & eius domum, quam inha-

bitat, ignoramus, perfecti esse non possumus, sed quous vento doctrinæ huc atque illuc abigimur. Commoda ergò lectio hodierna euāgelij, quæ Christum nobis declarat, locumque eiusdem nobis habitationis ostendit. Quòd si filij veritatis fuerimus, lectionem præsentem imis sensibus procul dubio condemus: quod cum præsterimus, non audiemus eos qui veniunt, & dicunt: Ecce hic aut illic est Christus.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Topographia, rei arduitate arguit. E finibus oppidi Magdala (anteà enim fuit in confinio Tyri & Sidonis Mat. 15.) venit in hunc locum. Cæsareæ Philippi, è Græco potest reddi, Cæsareæ quæ est Philippi: vel, quæ dicitur Philippi. Sic autem vocatur, in differentiam alterius, de qua dicitur Acto. 10. quòd eius indigena fuerit Cornelius. Vtraque sic dicta, in Cæsaris gratiam captandâ, authoribus Herode magno, & Philippo eiusdè filio. Illa ad mare sita, hæc ad Iordanem. Illam Herodes Augusto consecravit, hanc Philippus Tiberio restitutam dicebat. Philippus hic Herodis filius, itidem civitatem sustulit in honorem Iulij Cæsaris, quam Iuliam appellabat, teste Eusebio. Cæsareæ Philippi anteà etiam vocabatur Turris Stratonias. Neque nomen hoc Cæsareæ Philippi perpetuò obtinuit, nam postea Paneas est vocata. Postremò etiam in Neronis memoriam Neroniana: quòd illi nomen indidit Agrippa. Potest illa quæ dicitur Cæsareæ Herodis, ea ratione, qua hæc appellatur Philippi.

In hoc loco, & gentibus & Iudæis cognito, atque a deo nobili, rogat, Quem vulgus esse se dicat. Non rogat, quasi ignoret qui omnia novit: nec rogat vanæ gloriæ cupidus, cuius est omnis gloria, rex gloriæ, sed rogat propter nos. Novit hoc quòd est apud Io. 7. Alij dixerunt, quia bonus est: alij, quia est malus. Propter nos libera de se vulgi iudicia audire voluit. Quæ dicunt esse filium A-
Via ad gloriam, incipit à contumelia.
 da, hoc est, hominis? Attende: Via ad gloriã, incipit in cõ-
 tumelia & cruce. In filio Adæ, cognoscitur fili⁹ Dei. Ne-
 que enim civitas in monte cõdita, tegi potest: & opinio
 Christi in plebe, nõ fuit modica. Liur dixit, Beelzebub

habet, & in eius nomine eicit demonia. Idem liuor dixit, Nemo principū credit in eum, sed maledicta plebs, ignorans legis diuinæ. Audienda erant multitudinis de eo iudicia libera: de quibus Ioannes quoque ait: Alij dicunt, quia bonus est: alij verò dixerunt, non, sed seducit populum, cap. 7. Legitur de Cambyse rege Persarum, Cyri filio, quòd & quendam sibi à secretis interrogauerit, quid populus de se sentiret. Responso ad hanc quæstionem iniucunda planè fuit, quòd rex mortalium esset pessimus. Prexaspi libera responsio magno constitit, proprio nimirum filio. Sed Christus Iesus noster rex omnium clementissimus, veritatis non vltor, sed remunerator est insignis. De eo quid vulgus senserit, audiamus:

At illi dixerunt: Alij Ioannem baptistam, alij autem Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis. Baptista se Christum negauit esse, Ioan. 1. Sed capite plexo Ioanne, audiens Herodes opera Christi, dixit Ioannem resurrexisse, atque eum esse Iesum Nazarenum, potentem verbis & factis, Matt. 14, Indè factum, vt vulgus diceret Iesum esse Ioannem baptistam, scilicet quia hoc Herodes rex arbitraretur. Sic fides Domini Iesu etiam nūm ex personarum estimatur eminentia, iuxta prouerbiū: Ex auro disertus. Helias in curru igneo ablati, 4. Regum 2. apud Malachiam dicitur rediturus ad restituendam rem, cap. 4. Vndè Iesus vulgò Helias habebatur, quòd sacerdotum castigaret errores & abusus. Sed de Ioanne Baptista Malachias intelligendus, iuxta verba Christi, Matt. 11. Marc. 9. Luc. 1. Theophylactus dicit Iesum habitum pro Helia, propterea quòd tam acer censor esset peccatorum. Hieremias habitus, quia ædificabat & destruebat, iuxta hoc quod Hieremiæ commissum fuit, eiusdem cap. 1. Hieremias item multas persecutionum exantlauit procellas, vt vides eiusdem cap. 28. 38. Hac in re cum & Helix Christus non esset impar, creditus est Hieremias. Fuit illa æstimatio de Christo præclara. neque enim hi tres viri erant obscuro: sed collati ad gloriam Christi, candelam accensam diceres compositam lampadi solari. Nec hi tres solū nihil fecerūt ad splendorem Iesu Nazareni, sed & totus grex omniū

patrum, Christo collati, nihil erant nisi scintilla arundineti ad solem. S. Marcus hunc locum describés, filij hominis non meminit, nec Hieremiam recenset, saltem dicens, vnum ex prophetis, cap. 8. Neque S. Lucas Hieremiam mentionem facit, itidem dicens, vnum ex prophetis. Cæterum Matt. 21. Lucæ 7. vides Christo aliquid supra prophetarum sortem tributum. Apud Ioannem dicit plebs, Hic est verus propheta. Dixerunt & plerique Christum esse Messiam, vndè eum in regem vngere voluerunt. Contrà erant, dicentes: Num Christus Galilæus erit? &c. vide Ioan. 7. Ibidem cap. 10. spaticum Christum calumniabantur, sed contrà alij blasphemiam eam retundendo, dixerunt: Verba Iesu, certè dæmonizomeni verba non sunt. Adeò Christi Iesu opinio apud quos cunque cordatiores fuit gloriosa, sed longè infra ipsam dignitatem. Vulgi etiam hic obseruanda est stupiditas & ignauias. Vides ergò ineptissimos esse concionatores, qui tum malè animis exultant, cum videt vulgo placere, quas slexerunt & somniauerunt opiniones.

Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Vos autè, ait, quem me esse dicitis? Q. d. Vos ad excellentius testimonium elegi, vos profundiora mysteria docui, & omnia quæ patris mei sunt, vobis ostendi: agitè ergò, audiam vestram quoque de me opinionem. Hominem me esse, ex Maria matre mea natum, Galilæum esse: contribules & fratres mei, nulli non sunt cogniti, Matt. 13. sed hactenùs æstimatio mea non satis exprimitur, vestram ergo liberè & ingenuè de me sententiam proferte. Respondet Petrus: Tu es Christus, &c. Petrus † primas non solùm, sed & feruidus magis, respondet. Quod ita Dominus fieri voluit, vt ecclesiæ optimatibus in Petro feruoris exemplum præscriberet. Vndè & apud Ioannem ter rogat: Petre, amas me? Qui sine tali feruore primatum quærit in terra, confusionem æternam inueniet in cælo. Chrysostomus ait: Petrus respondet, apostolorum vnitas si os, & vertex totius consortij. Primò apostoli rogati de vulgari opinione de Christo, respõderunt pro se quisque omnes: hic interrogati ipsi, vno ore loquuntur, nimirum Petri: quod traducis confessionis habet significatione.*

POSTIL. VVICEL. SVP. EVANG.

Vna fides, vna intelligentia, vnū os omnium esse debet, quia omnes vnū corpus sumus in Christo. Respondit Hebraicè sic: *Attha hu Masiab ben ha Elohim hai*, hoc est, Tu es Messias siue Christus filius Dei viui. Veriorem & succinctam magis responsionē ne angelus quidē dedisset. Homine confitetur verū, & verū Deū. Vndè Hilarius: Hæc enim confessionis tenenda est ratio, vt sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus: quia alterum sine altero, nihil spei tribuit ad salutem. Hæc ille. Confessio humanitatis, exprimitur in Messia siue Christo. Seruit huic p̄fessionis articulus Græcus, quē Theophylactus hic diligenter vrget. Accedit etiā huc syllabica adiectio Hebraica *hu*, dictioni *Masiab* præfixa. Verum Deum non minùs clare profitetur, dicēs: Filius Dei viui, iuxta hoc quod est in Psal. 81. *Bene Elion*, hoc est, filij altissimi. Atqui hic Petrus ita articulatim loquitur, vt nullus scrupus erroris sit relictus. Filius Dei viui, q̄a & tu ipsa es vita, atq; ad eū Deus, non gratia, sed natura. Omnes credētes, quibus cū Deus loquutus est, dicūtur quidem & ipsi filij Dei, filij altissimi, Ioan. 1. sed ratione gratiæ & cōditionis generalis, qua etiā ethnici suos deos vocāt patres. De qua re audiatur veritas, Ioā. 10. Ob bonū opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam: & q̄a homo cū sis, facis te ipsum Deū. Respondit Iesus: Nōne scriptū est in lege vestra, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & nō potest solui scriptura: quē pater sanctificauit & misit in mundum vos dicitis me blasphemare, q̄a dixerim, filius Dei sum? Si nō facio opera patris mei, nolite credere mihi: si verò facio, & si mihi nō credatis, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, q̄ pater in me est, & ego in patre. Sensus est: Neque Helias, neq; Hieremias, neq; patriarchæ tali modo filij Dei sunt dicti, atq; ego: quia nemo eorū tantis claruit miraculis. Signorum potentia diuinam factis declarat essentiam. Accedunt huc varia de Christo testimonia, Simeonis, Annæ p̄phetissæ, cæci nati, claudi nati, centurionis, & hoc genus pluria. Potissimū hic audiēda Martha. Ego (ait veritas) sum resurrectio & vita. qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

*Filius
Dei viui
Christus,
& quomodo
hoc.*

Credis hoc? Ait illi: Etiam Domine, Ego credo quod tu sis filius Dei viui, qui in hunc mundum venturus erat. Vides hic euangelistas Ioannem, & Matthæum in confessione Marthæ & Apostolorum, Christi diuinitatem liquidè exprimere. Huc facit & testimonium Nathanaelis, Ioan. 1. Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es rex Israel. Et ca. 6. dicit ad suos discipulos omnes: Nunquid & vos vultis abire? Respondit quoque ipse Petrus, dicens: Domine, quo ibimus? Verba vitæ habes. Et nos cognouimus & credimus, quia tu es Christus filius Dei viui. Et nos idem cognouimus & credimus, idem etiam corde, ore & tota vita profiteamur, scientes, quod neque nos auersabitur, Mat. 10. Arrhabonem habemus spiritum sanctum, Ioan. 16. Rom. 5. Hæc nostra gloria vnica, hæc nostra fiducia sola, hæc est nostræ fidei summa & regula præcipua. Vnde facilè videmus verbum præsens Petri haud secus atque solem, vmbrailem veteris testamenti scripturam irradiare. Friuolum, quod Iudæi dicunt, Iesum ergo non statim credendum filium Dei, etiam si Messias existat. Sed scriptura tam Messiam, quam filium Dei promittit, Daniele. 9. Psal. 2. Et quis poterat alius implere omnia, quam filius Dei? Hunc locum, fratres charissimi, cordibus nostris sedulo committamus. Sunt enim hæc Petri verba, lux quæ omnes vmbrae veteris testamenti eliminat, sunt ancora salutis, & regula catholicæ professionis. Tu es Christus, ait, sed hæcenus fidem suam non satis expressit. Addit ergo, filius Dei viui. Exponit suam fidem de Messia, nempe credendum esse, Christum fore verum & consubstantialem Dei filium. Agite fratres sic Christum ore & corde confiteamur, memores verbi Christi, dicentis: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo cælesti. Faxit cælestis pater, vt eius filium ritè corde, ore & opere confiteamur, Amè.

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Ratum habet & beatificat verbum Petri veritas. Et nobis confessio itidem erit meritoria vitæ æternæ, modo in illa firmiter vsque in finem perstiterimus. Beatus es, ait, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit me tibi. Vocat filium Ionæ, ex consuetudine ea quæ in

synagoga non fuit infrequens: & apud nos mos est tritus, quod parentum nominibus etiam filij vocantur. Arnoldus Ioannis, &c. Chaldaicum *Bar* & Hebraicum *Ben* idem significant, nempe filium de quo alias. Collatio hic est dispar. Ionas carnalis parens, Deo patri confertur omnipotenti. Pater Simonis vocabatur Ioanna, siue abbreviate Iona Ioan. 21. Vbi etiam aliqui legunt, Iona. Nam & Ioan. 1. vocatur Iona. dicitur ibi, Tu es Simon filius Iona. Reddi potest, filius colūbæ. Caro & sanguis non reue-
 lauit tibi. Omnis caro scœnum. Non est in carne bonum. Quod natū est ex carne, caro est. Omnis homo mendax. Vide cui referas acceptum, si tibi Deo cōtigit cognitio. Caro & sanguis regnum cœlorū non possidebūt, 1. Cor. 5. Carnalis carnalia sapit, 1. Cor. 3. Filius huius generationis, sunt prudentes in generationibus suis; vnde nisi renati fuerimus, mysteriorum Dei capaces non erimus. Spiritus sanctus, iuxta prophetam Iohe. facit nos dociles Dei. Hilarius dicit in hunc locum: B. Petrus est, vt ultra humanum oculos intendisse & vidisse laudatus, non id quod ex carne & sanguine erat, contuitus, sed Dei filium cœlestis patris reuelatione conspiciens: dignusque iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret. Huc facit quod est apud Mat. 11. Nemo cognoscit filium nisi pater, nemo item cognoscit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Attende: Verbum Petri, est verbum Dei: quidquid ergo Mahometistæ, Iudæi & Arriani loquuntur, diaboli est.

*Iona inter
pretatio.*

*Spiritus
sanctus facit
nos the-
odactos.*

*Petri pri-
matu.*

*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram adifi-
cabo ecclesiam meam. Et portæ inferi non preualebunt aduersus
eam.* Quis non videat hic præminentiam Petri? Verisimile est, alios apostolos non omnes taliter illuminatos fuisse, nec tale animi robur habuisse. Omnium quidem persona & ore respondit, nullus dissensit, nullus blasphemiam Petrum insinulauit: sed an omnes talem ac tantam fidem habuerint, incertum est. Fac habuisse, sed etiam sic manet prælatio, primatus, & (vt aiunt) maioritas Petri, atq; adeo successorū eiusdem omnium. Ego dico tibi: filius Dei, filio Ionæ Simoni. Eccè tibi expressa discretio. Quia tu es Petrus. Hebraicè sic, *Attha Cepha, veal Cepha hazoth abneh ab Malcheli*. Cepha Hebraicum, Græcum petros vel

petra, Latine saxum. Aedificium ingens est ecclesia, complectens omnes fines mundi: opus habet fundamento firmo. Matt. 7. Est autem firmum fundamentum ipse Christus, 1. Cor. 3. Thalmudistæ quoque Messiam dicunt fore fundamentum fundamentorum. Idem dicunt ahenam columnam sustinere mundum, nomine *Zadik*, hoc est, iustus. Iterum ex Osea vocant Messiam caput populi sui. Verba prophetæ sunt: *Vesam labem Resch ehad*. Hoc est, Constituent eum vnicum caput. Sic etiam dicunt, Messias caput in Israel est futurus. Exponitur locus ille ab Apostolo, qui vocat Christum caput ecclesiæ, quæ eius est corpus, Ephes. 1. & Coloss. 1. quod propter semetipsum condidit vniuersa: quare ergo non habeatur caput vniuersorum? Quod Apostolus dicit, Ephes. 2. Fundati super fundamentum apostolorum & prophetarum, &c. intelligendum de ministerio. Cæterum si attendas quæ domus Dei sit, item ex quibus lapidibus constet: liquidò vides, ipsum Christum & præcipuum esse architectum, & eundem verum esse fundamentum. Ecclesia siue domus spiritualis, ipsum est opus, moles atque structura, & lapides sunt viui, vtique cum Petro renouati, 1. Pet. 2. Architectus & fundamentum filius Dei, qui omnia est in omnibus sine quo nihil possumus. Atqui quoniam Dominus Iesus Petrum hic præcipuè effatur, suoque nomine dignatur, dicens: Et ego dico tibi: item, Tu es Petrus: factum est, vt maiores etiam de ipso præcipuè hunc locum intellexerint. Intellexerunt autem, non carni & sanguini (quæ nihil sunt & vanitas, Esa. 40 Psalm. 116.) hoc quod filij Dei est, tribuentes, sed in confessionem iam dictam, in virtutem & repletionem spiritus, Act. 1. & quod Dominum plus cæteris amaret, Ioan. 21. oculos figentes.

Breuitè, Primas, fundamentum, & caput est Petrus dictus ecclesiæ, quod totum in ipso latitaret euangelion, qui primus omnium naturam deitatis in filio Mariæ profiteretur. Nouit sapientia, ecclesiam tali primatu & capite opus habere: qui ex Christi sunt spiritu, humiles, obediensque, hoc caput vnicè colunt & amant. Vicarius Christi, in quo Christus vnitatem vniuersorum vult constringi. Inobedientes & superbi hæretici, ab vnitatem

*Fundamē
tum eccle-
siæ Chri-
stus.*

*Caput ec-
clesiæ Chri-
stus.*

*Petrus
quoque dō
citur ca-
put eccle-
siæ.*

Petri primatus celebris in euangelio.

ecclesie deficientes, frustra se de vniuersitate esse iactant. Vide pie Christiane, quam præclarus sit Petri primatus in euangelio. Nulli discipulorum tale nomen imposuit, in quo esset talis participatio & consortium, Christus est Petrus vel petra: is Simonem filium Ionæ, suo nomine dignatus est, vt rumpantur illa Antipapis. Dicis non fuisse Petrum Matth. 16. Marc. 8. vbi crucem erubescens, factus scandalon, neque Matth. 26. vbi abnegauit, &c. Respondeo Christo hæc omnia satis fuisse explorata: nihilominus vocat eum Petrum & consortem sui constituit Mat. 17. vbi iussit tributum dari pro se & Petro. Christus infirma curare vult, non abiicere. Vndè & infirmum Petrum vocat, Luc. 22. dicens: Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua. Eccè tibi vnitatis catholice præclarum verbum, quod solus ferre non potest dissensionis author diabolus. Apostoli, Christi spiritu præditi, Petro semper detulerunt: quod vides Act. 15. & alibi frequenter. Apostolicos quoque viros audiamus, de primatu Petri differentes. Origenes vocat Petrum Apostolorum principem, Contra Celsum li. 2. Chrysostomus subindè Petrum vocat caput & principem apostolorum, vtpotè quem suum vicarium præsertim constituerit Christus. Idem vocat eum Magistrum totius orbis. Illum quoque Iacobum episcopum Hierosolymitanum ordinasse affirmat. In Ioan. ca. 21. dicit illi commissam curam vniuersalis ecclesie. Chrysostomus iterum super epistol. Rom. 16. Dicit se Romam potissimum diligere (quâquam eam alias etiam amet & colat) propter hos duos Christi apostolos. Idem ait: Recolite quale spectaculum Roma videbit, cum ibi Petrus & Paulus ad iudicium extremum* & surgent. Item, Qualem rosam mittet Roma Christo? Quilibet coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? &c. Euse. li. 2. cap. 14. asserit Petrum Romam venisse, vtrique caput ecclesie, in caput mundi. Gregorius Nazianzenus orat. 21. ait: Hic Petra vocatur, & illi fundamenta ecclesie concreduntur. Cyrillus etiam apostolorum principem vocat. Idem faciunt Origenes, Athanasius, & alij Græci. Alexander ad Liberium scribens, ait: Vniuersalis ecclesia à Christo Iesu nobis commissa. Theophilus quoque ait Petro commissam

Sancti Patres Petri primatum faciunt.

*excitaret.

ecclesiam, quasi omnium curam gerenti. Caius historicus contra Proculum, prædicat trophæa Petri & Pauli. Et hos duos ecclesiæ Romanæ Architectos pronunciat. Consentiant Græcis Latini. Ambrosius vocat Petrum præcipuum apostolum, cui Dominus curam vniuersalis ecclesiæ commiserit. Hilarius in Matthæum, de Petro dicit: O in nūcupatione noui nominis felix ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, Tartari portas, & omnia claustra mortis dissolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio clauces æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata autoritas sit in cælo. Item Hilarius super Psalm. 13. Petrum vocat primum confessorem Christi, fundamentum ecclesiæ & ianitorem cæli. Iterum idem super Psalm. 141. vocat eundem apostolum firmam Petram ecclesiæ superædificandæ. Cyprianus vnitatem ecclesiæ de pendere dicit ab vnitatem episcopatus Petri. Augustinus ausus Petrum vocare caput ecclesiæ, & immobile fidei fundamentum. Gregorius vocat Principem apostolorum, cui totius ecclesiæ cura sit commissa. Iterum Ambrosius libr. hex. 1. 5. cap. 24. de sancto Petro ait: Ipse ecclesiæ petra culpam suam diluit. Iterum apud Ambrosium, hi duo Apostoli columnæ ecclesiæ vocantur, super Psalm. 118. Hieronymus ad Marcellam, dicit, super Petrum ædificatam ecclesiam. Verum nunc etiam audiamus, quo sensu Petrum caput & fundamentum ecclesiæ appellarunt S. Patres. Hieronymus in Matthæum ait: Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram Petræ, rectè dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te. Chrysostomus: Sic & cælestis pater dicit Hieremiæ: Ego te posui tanquam ferream columnam & æneum murum. Verum hunc Petrum Christus vniuerso orbi terrarum præfecit. Tu es Petrus, ego super te ædificabo ecclesiam meam. Basilius: Petrus quoniam fide præstabat, Ecclesiæ in seipso ædificationem suscepit. Ambrosius: Pro soliditate deuotionis, Petrus ecclesiarum Petra dicitur, eo quod in nationibus primus fundamenta fidei posuerit, & tanquam saxum immobile, totius operis Christiani compagem molemq; contineat.

*Petr^o quo
sensu dica-
tur eccle-
siæ funda-
mentum.*

POSTIL. VVICEL. SVP. EVANG.

Cyprianus ad Quintum: Petrus super quem Dominus ædificauit ecclesiam suam. Idem item ad Corneliū. Tertullianus vocat Petrum ædificandę ecclesię Petrā. Leo primus in sermone ait: Tu es Petrus, hoc est, cum ego sim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamētum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamē (Petre) quoq; Petra es, quia mea virtute solidaris, vt quę mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Augustinus: Audistis frequenter, ipsum Petrum à Domino Petram nūcupatam, sicut ait, Tu es Petrus, &c. Si ergo Petrus Petra est, supra quam ædificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat, Acto. : vt sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Origenes vocat Petrum, magnum fundamentum Ecclesię, & petram solidam, in quam Dominus ædificauerit. Verū in hoc, quod ex præmissis auctoritatibus liquescit, intelligendum de spiritu, fide, fiducia, cōfessione, professione, &c. hæc si abstuleris, non remanebit in filio Ionę, quo meritō chenobosceon struas. Chrysostomus itaque hoc loco dicit, ecclesiam fundatam in confessionem Petrinam. Augustinus in Homilia supra hęc petram, quam scilicet es confessus. Item: Super me ædificabo me, non me super te. Christus itaque petrarcha, Petrus petra: quod summoperè cōtra supercilium pharisaicum est obseruandum, qui nihil horum attendunt, sed omnem pompā abusuum, hoc verbo volunt defendere. Quidquid id est abusuum, corruet & faciet fragorem magnum: quia quidquid pater non plantauit, eradicabitur. Babel quoque opus interruptum, minęque murorū ingentes, æquatęque machina cælo nihil aliud nisi fabula mundo poterit esse. Rursus plātatio Christi semper vigebit, & in æternum efflorescet. Princeps huius mundi nihil tam dolēter fert, atque regnum hoc Christi in hunc mundo, vt tot cōtra ecclesiam suscitet Nerones, Diocletianos, Maxentios, Decios, Iulianos, Cofdroas, Arrios, Donatos, Auxentios, Hunnos, Gothos, Vandalos, sed actum agunt omnes. Nerones exarmauit impotentes patientiæ virtus, Arrios veritatis gloria suppressit, Auxentios eiusdem veritatis iubar tāquam va-

*Christ' pe
trarcha.*

*Ecclesiam
Christi sa
sanas præ
cipue odit*

porem & † nubeculam depreſſit. Breui & Auxentioniſtæ noſtrates, hodie qui eccleſiæ regendę ius laicis principibus, & iisdem idiotis, regędam ſubiiciunt, toti mundo ridiculi, immo etiam execrabiles conſtituentur. Breui item quorundam mundo ſapientium ordinatio, anilis fabula & blaſphemia horrenda cuique apparebit. Non poterit Petridos nauicula ſubmergi. Nihil efficiet aduerſus eam fluctus philoſophicorum ſyllogiſmorum, Acto. 14. Nihil hæreticarum tempeſtates opinionum, rationem ſapientiæ habētium, Tit. 3. 1. Cor. 11. Manet quod Domino ſemel placuit, & quod Dominus ſemel fecit, Eſa. 46. ¶ Miraris quare diabolus eccleſiam adeo internecino bello ſtudeat delere? Hoc magis eccleſiæ maiestatem videmus illuſtrem. Niſi enim maiestas ea quæ ſoluit & ligat in terra, ſic vt omnia etiã rata habeantur cælo, vera eſſet, diabolus huic regno nõ ita inſidiaretur. Vide quis vulpeculas eas in vineã Chriſti immiſerit, qui hodie ſacramenti poenitentiæ & omniũ aliorum ſacramētorum uſum, vulgo faciunt Papiſticę fraudis ſuſpectum. Portę inferorum, potestas tenebrarũ, nequitia ſpirituum, quorum potestas eſt aëris, ſeſe quoq; vt declarent oportet. Oportet hæreſes eſſe, vt probetur electi. Fortis armatus, hæreſis: ſed fortior, veritas orthodoxa catholica. Eccleſiæ ſe Chriſtus dedit, & eam portas inimicorum ſuorum poſſidere voluit, Gene. 22. Verbum Domini manet in æternum. Veritas quæ ſe eccleſiæ promiſit, vicit mundum. Ioan. 14. aboleuit mortem & inferum, 2. Tim. 1. Hebr. 2. Veſtes ferreos confregit hoſtium ſuorum, Pſal. 106. Eſa. 45. Mille anni ante oculos Domini tanquã dies heſterna quæ præteriit: ad tempus præſcriptũ itaque Mahometiſtica inſania durabit. Nullum violentum perpetuum. Omnis conſummationis vidi ſinem. Verbum Domini manet in æternũ, Eſa. 4. 1. Petr. 1. Arrigit hic aures hæreſis, mentito ſibi ſupplaudens exotici ſenſus euangelio: ſed meretrix illa audiatur, & eccleſiam iuxta atque verbum Domini, perpetuò manſuram. Et Matth. 28. ſuis ſe Chriſtus promittit. Atque hæc hætenus.

Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper

*Machous
tan² fuerit
quousque
duraturus*

Petrus
Christus
vnitatis ec-
clesiæ ty-
pū statuit

terram, erit solutum & in celis. Benedicū Deus, qui talem & tantam suam potestatem etiam credidit hominibus. Habent homines certè, quia acceperunt. Certò habent: quia qui dedit, non fallit. Dedit verò primò Petro, qui etiam de spiritu Moſis aliis tribuit. Quare verò hoc ita? quia pacis & vnitatis authorè se declarare voluit. Qui nisi vnā sponsam elegit, vnicam columbam, qui bigamus aut polygamus haudquaquā esse sustinet, vnus ecclesiæ sacramētum, ô bone Deus, quā luculenter in persona Petri expressit. Verba etiā illustria satis sunt. Tibi dabo, inquit, clauēs, non vobis, quanquam omnibus, sed tibi, vt omnes vnitatis sacramētum semper vnerentur. Non solū Iudæi & Turcæ, qui euangelion Christi nō habent, peccati remissionis sunt immunes: sed & omnes, quibus nulla necessitudo intercedit cum Petro & eius successoribus. Perduellio est ecclesiæ, fur & latro, qui ecclesiæ capiti luctatur Petro. Dicunt se habere fidem Petri, & cum Petro in petra Christo esse Petros: Qui exoticum scripturæ sensum profert, qui traducem sensum ecclesiæ non tenet & proficitur vsque ad verbum minimum, nō est cum Petro, nec est in Christo petra. Euangelium prædicatum est mundo, receptū est à gentibus in gloria. Euangelium ergo non habet, qui gentes eas quæ ipsum euangelium in gloria susceperunt, audire contemnit: etiam si se Christum ipsum dicat, & se de Pauli scriptis plurimum iactet, Marc. 13. 2. Petr. 3. Potestas apud catholicos humiles & obediētes est rara, Matth. 18. Ioan. 20. Sed bone Deus, quot ecclesiæ vndique instant pericula? Ex hac professione catholica nascitur apud plerosque supina ocij oscitantia, superbix pompa & crista, auaritiæ ansa. Non ad destructionem, sed ad ædificationem data est ecclesiæ isthæc potestas, 1. Cor. 13. Dicimus cum Augustino: Tenet me, ab ipsa sede petri vsque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. Dicimus verbis Christi, Petri successor: Tibi dedit Christus clauēs regni calorū: sed simoniaco etiam dicimus cum Christo, Cauete vobis ab auaritia: cum Paulo, Quæstus non est pietas: cum Petro dicimus cuiq; simoniaco: Nō est tibi pars in ratione hac. Item cum ecclesia, abrenunciamus satanæ & omnibus

Potestate
Ecclesiæ
multi ab-
santur.

eius operibus & pompe. Quàm à syncera religione hodie exorbitetur, quot abusus sint exorti, quis nō videat? Legantur hac de re (quoniā nostrum testimonium non recipitis) Sancti patres etiam posterioris ecclesie, qualis est S. Bernardus in lib. de confid. & epistola ad Romanā curiam, Cardinalem de Aliaco, Cusanum, & à Clumangis, Gersonē. Legatur quid sentiat Gregorius Magnus de vsu pallij, lib. Epistolarum 4. epistola 44. & epistola 55, in qua dationem pecuniæ vehementer detestatur, simoniacam hæresin eam appellans. Item hoc quod accipitur pro sacris ordinibus. Itē lib. 4. epist. 52. & 56. Præbendarum mundinatio tunc temporis necdum fuit, quæ si fuisset, heu mihi qua seueritate in tantum facinus intollerasset. Non sustinuit se à Ioanne Patriarcha Hierosolymitano vocari cœcumenicū, id est, vniuersalem, sed maluit vocari Sacerdotū seruus, Coepiscopus & confacerdos. Vide lib. 4. Epist. 82. 36. & 59. & c. O vtinam talem reformatorem iam haberemus. Abusus vt sunt maximi, ita etiam sunt manifestissimi: sed quia eorundem reformatio nostræ gloriæ & auaritiæ nō adeò inferuit, reformari nolumus: quod in totius Ecclesie maximum malum fiet. Reformationē solam hætenus expectauimus: sed vt eam videamus, indigni sumus. Reformet ergo se quisque, vt tandem Dominum exoremus. Hoc ipsum annuat nobis Petra illa, cunium bonorum fons & caput Christus Iesus, cui cum patre & spiritu sancto, laus sit & gloria, per omnia secula, Amen.

APOSTOLORVM IN PETRI
& Pauli, Matthæi 16.

Venit Iesus in partes Cesarea Philippi, &c.

¶ Sectio literalis protreptica.

Discipulos interrogando,

Idem Gratia & Gloria munera dando

*Christi
clemen
tia, in*

Ecclesiam perpetuando,

Nostræ infirmitati subueniendo.

¶ DECLARATIO.

Angeli, demones, Sol, Luna, Terra, Mare, ignis, aer, & omnia, Misericordiam Dei erga nos declarat. Theoreticus quidam,

contemplando huius horribilitatem, ad ingentes prorumpere lacrymas cogebatur. Cellegit siquidem, quantum homo alijs animantibus prestaret, quo consilio Homo sit conditus, & c. Psalm. 88. Misericordias Domini in eternum cantabo. Item, Quam bonus est Dominus. Misericordia Domini super omnia opera eius. 1. Quem dicunt homines esse filium hominis? Familiaris non solum interrogatio, sed & providentia bonitatis, qua fidem Apostolorum ad meritum elicere voluit.

2. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, & c. Nemo potest dicere, Domine Iesu, nisi per Spiritum sanctum. Nemo potest venire ad Iesum, nisi fuerit attractus per spiritum sanctum. Fides itaque Petri, donum presens gratia Dei. Bar Iona, ex se non confitebatur filium Dei. Gloria donum attende in mutatione nominis. Christus, petra: Simon, Petrus dicitur. Consortium nominis, significat successionem dignitatis. Abram Abraham, Sarai Sara, Iacob Israel, omnia haec gloriosa. Hieronymus super Genesim: Ephron Ephran, Vau pro O. Passur, Magur, Antiochus Epiphanes, rectius Epimaens: Lucius haereticus dicitur Lycus, Melchisedek, Moses, Aaron, Eleazar, Barachias, Simon Onia filius, Iesus sacerdos magnus, Zacha. 3. omnes vix umbra Petri, Ambrosius. Consortium operis, ergo dicitur Petrus. Dei est remittere peccata. Deus dedit talem potestatem hominibus. Tibi ait, unitatem significans Ecclesiae, non personae. Qui munus illis rite perfectus fuerit, maiorem dignitatem sibi acquisiverit.

3. Et super hanc petram edificabo ecclesiam meam. Ecclesia in Christum fundata, errare non potest. Tertullianus, Irenaeus, Leo Papa, Ambrosius, Augustinus, & c. testes sunt, hodie una Roma martyrium fecisse Petrum & Paulum. Petrus à Petra dicitur, consors etiam factus mortis generis, crucis nimirum. Festum presens, Epiphania par est celebratio.

4. Et tibi dabo claves regni caelorum, & c. Nobis bene prospexit Dominus etiam in unitate, cui claves credidit. Aiant ardeliones, Quae ubique sunt, nullibi esse. Nisi ergo claves certis personis huic officio deputatis, sint traditae, nemo de illis certus esse poterit. Tradux servanda in commissione earundem. Tibi, primatum exprimit. 2. Paral. 19. constitutione regis Iosaphat, omnia quae ad Deum pertinent, Pontifici deferuntur. Iethro idem censuit. Ad id etiam ratione humana videmus congruere, ut ergo presens observetur. Mirum non est, haereticos sacrum Ordinem confundere, quoniam

quoniam etiam perperam sentiunt de Sacramentis Ecclesia, & omnia apud hereticos dubia, vana, & execrabilia non esse non possunt, quia traducem sacram non sapiunt.

IN FESTO VISITATIO. B. MARIAE, epistolaris lectio Canti. 2.

Ecce iste venit saliens in montibus, transfiliens colles. Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cernorum, &c.

PRAEFATIO.

Liber Canticorum, Hebraicè dicitur *Sir Sirim*, quod est, Canticum canticorum. Liber ille epithalamij speciem præ se fert. Maiores nostri vocauerunt carmen nuptiale, in modum dramatis conscriptum. Drama enim dicitur, cantileua personarum fabulam agentium. Augustinus super psal. 143. de hoc libro ait: Videte amatoria sancta cantica, videte Cantica canticorum nuptiarum caelestium Christi & Ecclesiae. Facessat hinc ad libros amoris Ouidianos, libidinosus. Plato duos commentus est amores: alterum, internum hominem quaerentem: alterum, externum petentem. Benè pro ethnicorum caecitate philosophatus quidem est, sed ad amorem eum, qui spiritus sancti est, pertingere non potuit. De amore isto hoc vide Roma. 8. In hoc amore homo Deum solum ex omnibus animæ & corporis viribus amat propter seipsum, & proximū aut propter Deū, aut in Deo. Origenes, Hieronymus, Gregorius, amorem eū dicunt propriè vocandum charitatem. Ut sit philosophicè dictum, Amoris telo percussus sum: theologicè verò dicitur, Vulneratus est charitatis ego sum. Gerfon in hunc librum scribens, in verbo Amo, ludendo ait, Amo verbū, Deum representare: A, significare principium: M, medium: O, finem. Ignatius ait, Meus amor crucifixus est. Vi des itaque, etiam amorem pro charitate posse poni, sed charitatis vocabulum est & aptius, & visitatus ecclesiasticis. Sic & apud Græcos agape religiosius est, quàm eros. Charitas hæc diuinus ignis, fortis est vt mors, Cāt. 8. Vndè eam S. Augustinus antesignano & duci belli cōfert. Idem item signanter ait, eam esse radicem omnium virtutum, de ciui. lib. 17. cap. 20. vbi ait: Canticum canticorum, spiritualis quædam voluptas est sanctarum mentium, & in coniugio regis illius & reginæ ciuitatis, quod

*Amorē
carnales
carnaliter
estimant.*

*Amo,
verbum,
Deū quo-
dammodo
exprimit.*

est Christus & ecclesia. Sed hæc voluptas allegoricis tegminibus inuoluta est, vt desideretur ardentius, videaturque iucundius. Puto item operæ precium me facturum, vbi studioso catholico subiecero verba Origenis ab Hieronymo translata, libellum hunc commendantia, & summarium quodammodo libri eius perstringentia. Ait: Hunc ergò amorem loquitur præsens scriptura, quo erga verbum Dei anima beata yririt & inflammatur, & istud epithalamij carmen per spiritum canit, quo ecclesia cælesti sponso Christo coniungitur ac sociatur, desiderans misceri ei per verbum, vt concipiat ex eo, & saluari possit per hanc casti filiorum generationem, cum permanferit in fide & sanctitate cum sobrietate, vt potè concepti ex semine quidem verbi, editi verò genitique vel ab immaculata ecclesia, vel ab anima nihil corporeum, nihil materiale requirente, sed solo verbi Dei amore flagrante. Hæc ille. Tu modò perpende, etiam Græcos nymphiū sive sponsum ecclesiæ, æquè vocare Christum, atque Latini. Concordes sunt omnes ecclesiæ: vtinam pereant, qui inter ecclesias & sponsum dissidium volunt.

Generatio casta est ecclesia

Nymphæ ecclesiæ nymphæ Christus.

Ecce iste venit saliens in montibus, transfiliens colles. Similis est dilectus meus caprea, hinnuloq; cervorum. Verba sunt ecclesiæ, quæ sumus nos, Christo in fide desponsati, 1. Cor. 11. Osæ 2. Ecclesia est pulchra tota, carens omni macula & ruga, Ephe. 5. Finge & imaginare hic ecclesiā Christo aditare haud secus, quàm formosam virginem charissimo suo sponso. Non desipuerunt maiores, qui vir-

Ecclesiam maiores in virginis esse delinuerunt. ginis imagine ecclesiam effinxerunt in texturis & operibus phrygiis & picturis. Mandauit sibi ecclesiam, & sanctificauit sibi, vel suo ipsius sanguine, Ioan. 3. Ro. 5. Gal. 1. 1. Tim. 1. Intacta, integra & super niuem dealbata virgo Christi virginis sponsa, vocem sponsi agnoscit: Dicit, Vox dilecti mei: Verba hæc lectionem præsentem præcedunt. Argumentum sunt veræ Christi ecclesiæ. Anima fidelis omnis, quæ verbum Dei amat, audit, & custodit, Christi est sponsa. Respicit ad pauperulum & contritum spiritu, & tremementem sermones suos sponsus ille immortalis, omnipotens & clemētissimus, Esa. 66. Amor moræ est impatiens: festinus itaq; sponsus ille nō

ster venit, venit inquam festinus, & non tardabit. Tarda nescit molimina spiritus sancti gratia. Sponsi nostri præfens properatio significat gaudium spiritus sancti, Ro. 14. Huc facit quod dicitur Ioan. 3. vocem sponsi audientiam in gaudio, hoc est, fore iucundam & gratam. Vox quæ nos fœcundat ad opera bona, Mat. 13. Lucæ 2. Hieremias quoq; meminit vocis huius exultationis, cap 33. Infrà cap. 5. iterùm eius iucundæ vocis facit mentionem, sed ibi non solum audit vocem loquentis, sed etiã manũ pulsantis fores. Cap 2. cupit sese voce sponsi saturari. Omnia verbi prædicationem nobis commédant. Olim *Incar-* loquebatur in patribus, putã in prophetis, item in ange *tio Christi* lis: nunc verbũ ipsum præfens, putã incarnatũ, auditur. *salus di-* Incarnatio item exprimitur per saltum eum, quem sapi *citur.* ens hic celebrat. Vndè etiam ab ecclesia * Idithus vocatur in cantico triumphali Christi ascensionis. Vir item speciosus vsque aded, vt etiam angeli gaudeant in eum adspicere, psal. 44. 1. Pet. 1. Obserua sponsum primò audiri, & indè videri. Psal. 44. Audi filia & vide. Spiritus *Auditur* sanctus in die Pentecostes adueniens, etiã primò audie *primò spò* batur, dein in linguis igneis dispertitis videbatur, Acto. *1. 12.*

2. Hic etiam mollia eius prædicantur brachia. *Dedi,* hoc est, dilectus similis capreæ. Agilis, facilis, operosus, laboriosus, robustus, efficax. Venit visitans suos, venit putator, venit accipere sibi regnũ, Luc. 19. Venit videre conuiuas. Immò vbi duo vel tres in eius nomine fuerint cõgregati, statim in eorũ medio erit. Denique etiam venit cum patre & spiritu sancto, faciens mansionem in iis qui audiunt verbum ipsius. & seruant illud, Ioan. 14. Hæc omnia ecclesia prædicat de sponso. in figura & similitudine hinnuli, cervi & capreæ. Sequitur:

*En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ecce tibi, montes & omnes colles Bethel noster * Idithus facillimè transiuit. Iam stat post parietem nostrum, non statim prodit, parùm se illatebrat. Verecundus sponso foris stat, Reliquit patrem & matrem, cupiens adhærere vnicæ suæ. Sponsa intus* *Respicere* est: quia apocrypha est, quia mudi vanitatum fugitans. *verbum,* Respicit interim per clatratas fenestras. Respicere, *se-* *singularis* cundum Hebraismum, singularem habet & *est gratia.*

fin & gratiam. Alludit similitudo dorcadis, quæ non solum cursu admiranda est velocitatis, sed & visus † acuminis insignis. Vides visus præstantia etiam sponsum celebrari. Esa. 14. Psal. 33. 131. Hæc omnia de incarnationis mysterio intelligenda. Venit videre, & videri. Venit, sed latenter, hoc est, ignotus, seruili forma. Dicitur illi: Si tu es Christus, dic nobis palam: quousque aufers animas nostras? Atqui fugit sic, vt tamen videretur. Fecit se filium Dei. maluit se filium Dei opere, quam verbo, designare, Luc. 4. Mar. 12. Ioannis 5. Postremò omnium manifestius egit, accipiens sibi regnū, constituens principes super omnem terram. Regem se declarauit, & reginæ specimen non obscurum delineauit. Regem ipsum spernit, qui reginam fastidit. Viderint hæretici. Potest tantus rex, tantæ agilitatis gigas statim eo tempore quo minimè sperent, adesse, & de reginæ contemptoribus supplicium accipere. Sequitur:

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Vide hæretice, & rumpe inuidia. Sponsus tantus, sponsam tantam vnice amat. Respondet non rogatus: non patitur errare vnice dilectam. Tibi non respondet schisma: quia te auerfatur & odit. Dilectus respondet priusquam rogetur, quod etiã vides Matt. 11. Potest etiam intelligi de voto & affectu sponsæ. Est enim & clamare ad Dominum, tacite ingemiscere, cuius vides exemplum Exo. 14. Quid verò dicit sponsæ? Euocat eam. Non intrat in eius eedes, sed vocat eam foras. Collectio fidelium in pristina vita manere non debet. Exire habet & innovari. Ecce noua facta omnia, 2. Cor. 5. Esa, 43. Apo. 21. Iudæorū lex abroganda. Circuncisio fuit ex patribus, lex fuit infirma, ergò antiquanda, quia euangelio non consentit vsqueadè, quatenus mortis ministra, 1. Pet. 1. Ethnici spurci, infideles, & omnium criminū pleni: ergò & ipsi pristinae vitæ emori habuerunt, quod hic vocat Salomon exire. Christi præcepta audienda, Christi exemplum exprimentū. Quis hic non videat philanthropiam & zelotypiam erga nos nostri sponsi? Surge, ait, propera, formosa mea & veni. In Hebræo oratio plus habet verborum. Nempe, tu vel tibi, vel ad tuum. Sponsam vult sibi vel ad suum

Ecclesia non potest errare.

Ecclesiam euocat spō su.

Ecclesia sibi laborat.

furgere. Emphaticè, Tu dilecta, ait, surge. Tu tibi surge, tibi prospice, tibi diuitias meritorum confice, tibi vigila. Sponsus bonorum sponsæ non indiget. In eodem ferè sensu dicitur Esa. 9. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Nobis omnia. Formosa dicitur ecclesia, fi-

Ecclesia formosa est fide, spe & charitate: nigra sanguinis & mortis supplicio.

de. Fides purificat cor. Amicam primò eam vocat suam, dein formosam prædicat. Idololatra olim erat inimica, Rom. 5. Sed credens in Deum verum, facta est intima, Ephes. 2. Ioannis 15. Venusta est ex fidei synceritate. Suprà capite 1. dicit eam esse nigram, quod de crucis & tæ-tationum intellige caligine atque æstu. Sic & Christum ipsum, psal. 44. speciosum præ filiis hominum, nigrum dixerit, iuxta Esaiam cap. 53. Tribulationis & crucis æstus, nigredo vocatur. Hastenùs etiam Deus facit malum. Tempora nubila, sunt tempora persecutionum: quarum ne Christus quidem fuit immunis. Erubescat ater & liuidus hæreticus, qui ecclesiam turpem cauillat, quasi bona opera sint peccaminosa, & nihil mereantur. Breuiter dilectio est venustas, ornatus, cultus & totus muliebris mundus: ex ea enim omnis decor & venustas sponsæ accedit, ex ea præcipuè charissima suo fit sponso. Rectè S. Augustinus dilectionem dicit esse vestem nuptialem.

Semine deposito, latè seges exilit aruis,

Spondens agricola vincere posse famem.

Cuculus risum mouet, garrivæ auicularum immurmurans. Luscinia noctu cantillans, vulgo multarum cantilenarum & prouerbiorum argumenta ministrat. Veris descriptionem per se quisque nouit. Pueri ex tot Epithetis, veris norunt cõmendationem. Ver significat Ec-

*Hyems
synagoga
tempus,
significat
Iudaeorum
& ethnico-
rum conci-
liabula: a-
stas, Eccle-
siae.*

clesiae primordia, Hyems synagogam significat. Immo etiam ethnicorum caecitatem abominabilem explicat. Dei longanimitas tulit seculi prisci errata, multa animi lenitate, Roma. 1. 2. Act. 17. Videte, ait, ne fiat fuga vestra in hyeme: puta, quando haud facile opus est factu. Aestas vero est laboriosa. statim ergo euangelion nos vocat ad poenitentiae opera & fructus dignos. Sola haeresis praedicat solam fidem: & si opera aliquando praedicat, frigide admodum hoc facit, operibus bonis meritum iustificationis negans. Quasi sponsa neque sibi, neque sponso laboret. Hyemalis vero lex, obscura & frigida, legi perfectae libertatis non est praefenda. Vox spon- si sola audienda. Iudaeo christiani damnantur Galat. per totum. Doctrinae & mandata hominum vana, Gal. 4. Col. 2. Ethnici ducebantur ad muta idola, 1. Cor. 12. Nunc erubescant de illis, in quibus olim gloriabantur. Nunc dicimur filij excelsi omnes, quod certe fit in tempore grato, in tempore accepto &c. Esa. 49. 2. Cor. 6. Gal. 4. Haec omnia spiritu sanctus hic per ver designat & aetatem, quae sibi ita tum succedunt. Summa, sensus est, iam instare tempus operandi. Annus iubilaeus ille perfectae libertatis adest, Tempus noui Testamenti, de quo agit Hieremias cap. 31. Ver praeteriit, aestas nunc fores pulsat, seges flauescit, multa messis, operarij pauci, Ioan. 4. Superest vt quisque pro se strenue laboret. Labor, ait, vester manebit. Certus sum, ait Apostolas, depositum meum mihi seruatum iri in illam diem. Sequitur:

Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petrae, in caeuerna maceriae. Ostende mihi faciem tuam.

Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies

*Amor
Christi
spōsi erga
sponsam
ecclesiam,
quis, qua-
lu, &
quantus.*

tua decora. Quis fando adsequatur affectum sponsi erga sponsam? Salomō deperit in filia Pharaonis, idē & alias pditē adamauit mulieres. Sed amor sponsi erga sponsam, non habet hic vllam similitudinem aut comparationem. Nulla enim carnis collatio ad spiritum sanctum. Salomoni amor suus fuit perniciosus, 3. Regum 11. Amor Ecclesiae spiritualis est, nihil habens spurcitiei. Sanctus est, castus est, atque adeo verus. Denique Deus charitas est. Dilectio Dei tunc verò maior videbitur, si quis cognouerit sponsam eam antequam eli-

geretur, tam fuisse vilem & omnibus modis miserabilem. Quid æterna damnatione horribilius? Sponsa æternæ damnationi fuit adiudicata, quia peccati mancipium, Dei ignorans & fugitans. Miserabilem eam & infelicem humani generis conditionem, per carnis & sanguinis consortium sanctificavit, dando omnibus copiam filios fieri Dei. Charitas eius ineffabilem amplitudinem adhuc luculentius videbimus, si cum Apostolo sancto Paulo ad Romanos quinto capite, ritè consideraverimus, Christum pro sponsa ea sua mortem cum turpem, rum acerbam, subire fuisse dignatum: idque tunc, cum adhuc inimica eius fuit, diaboli nempe ferua. Tantus amor, tantum commercium, non absurde sacramento nuptiarum confertur Epheliorum quinto, Hoseæ secundo. Obserua hic, vocabulum amoris & venustatis commendationis identidem repeti. Non sat habet, amicam suam Ecclesiam vocare: appellat eam & sponsam, quod arctioris longè est gradus necessitudinis & charitatis. Nec hæcenus suam erga nos charitatem declarasse contentus erat: nam commendationis tot adiicit vocabula. Facile Ecclesia hæreticorum vituperationes contempserit, ubi se à tanto sponso, venustatis apto estimatore, audiat speciosam prædicari. Hæresis, peccaminosa vocat opera fidelium bona, atque æternæ damnationis meritoria. Sponsus mundam & pulchram testatur, faciem eius sibi gratam & adpectu iucundam, vocemque eius sibi dulcem esse fatetur. Satis & super est sponsæ testimonium & iudicium: illi vnice placere cupit, cæteras creaturas, diabolum & eius satellites omnes ne tanti quidem facit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si ille nos probat, quis condemnabit? Sacramentum habet con nubium. tedæ ius est perpetuum. Cestus seu vinculum nuptiarum, est indissolubile. Christi quoque erga nos Amor, nuptiæ hæc spirituales charitatis atque vnitatis hic incipiunt, in æternitatis thalamo perpetuò perman-
suræ, primæ Corinthio, capite decimotertio. Hic sponsus venustatis sponsam admiratur, post cap. 5. & alibi frequenter sponsa vicissim pulchritudinem sponsi celebrat: quasi suam venustatem omnem, sponsi charitati referat acceptam. Sponsi gratiæ est, quidquid est sponsa.

*Amor
Christi erga ecclesiam, sacramento nuptiarum confertur.*

Hæresis ecclesiam, quæ Christi commendat, reprobatur.

Ecclesia omnem suam venustatem Christo adscribit.

Sed non protinus neganda est sponsæ ista venustas & decentia, quòd ex sponsi eam possideat gratia. Immo hoc certior & præstantior est censenda. Cuius rei gratia, sponsus in commendando sponsæ decòro totus est. Laudat genas, labra, oculos, collum, totumque adeo corpus vsque ad capitis capillum. Nunc sororem, nunc sponsam, nunc amicam, nunc vnicam vocat. Hic columbellam blandissima omnium appellatione compellat. Euocat vero compellatione ea blandula. Euocat verò, vt obliuiscatur patronos penates, Psal. 44. Vocat ad se Matth. 11. Vocat ab omni idololatria liberandam, Ioann. 8. Vt verbum Dei audiat, Matth. 17. Vt verbum custodiat, Ioan. 8. Vt exemplum suum imitetur, & bonis operibus studeat, Matth. 5. Luc. 1. Vt ingenium spiritus sancti, per quem renata est, referat, Ioan. 3. Colo. 3. 1. Petr. 1. Columbæ, potissimum palumbes, solent in speculis & turribus altis, item in foraminibus petrarum seu rupium nidificare: cuius rei etiam hic sponsus meminit, significans se sponsæ esse refugium & firmamentum. Verbum Domini turris fortissima. Christus petra, 1. Cor. 10. Foramina sunt Christi vulnera, quæ columbæ (dolo carenti, 1. Petr. 2. & simplici, Matth. 10.) securitatem promittunt aduersus accipitrum & aquilarum omne genus, Ephes. 6. 1. Petr. 5. Deniquè sponsus contendit à sponsa, vt sibi se videndam & contemplandam exhibeat, vocemque suam, auribus suis hauriendam promat. Vox, oratio & gratiarum actio, exhibitio operis boni, & imitatio exempli Christi, est effigies & imago quam sibi vult ostendi. Iterum hic amoris profunditatem perpendamus, ne mariam quidem aqua vniuersa abluendam, Cantic. 8. Quid? Nunquid quum nos sic audiamus Christo charos, inflescamus & frenum excutiamus? Absit absit. Redamemus vero & grati simus. Redamendus Deus ex omnibus cum corporis tum animæ viribus, supra omnia, Deut. 6. Matth. 22. Ingratitudo meretur, vt beneficium quodcumque præstitum, rursus ab ingrato auferatur. Commercium habere cum Christo, est bonis operibus insudare, 1. Ioan. 11. Non nouit Christum, qui eius non seruat mandatum, 1. Ioann. 2. Audiant acediosi, audiant flagitiosi, Non sic, ait Apostolus, didicistis Christum. Vox

*Ecclesiam
Christus
quasi spō-
sam euo-
cat.*

*Ecclesie
sponse re-
fugium
Christus
sponsus.*

*Commer-
cium ha-
bere cum
Christo,
quis?*

Christi dulcis, quia plena amoris, doctrina dilectionis. Si dulcem eam vocem non audimus, sponsa non sumus, adulteræ perfidæ sumus. Repudiabimur, & tandem horrendam vocem audiemus: Ite vos maledicti, &c. Item, Nescio vos, &c. Vox dulcis sponsi monet etiam nè nos fallamus ipsos, nè in tenebris ambulemus, 1. Ioann. 1. Nè mentiamur Deo, ibidem 2. Deponatur ergo pristina conuersatio, & induatur nouus homo, qui conditus est in veritate iustitiæ & sanctitatis, Ephes. 4. Maria virgo gloriosissima sic vocem sponsi audiuit, sic custodiuit, vt merito præ omni creatura laudari atque extolli mereatur, adeo vt religiosè Regina cæli esse dicatur & cre datur. Confiteamur meritum, & imitemur Reginae cælorum exemplum. Beatam, ait, me dicent omnes generationes. Omnis generatio, vtiquè ecclesiam exprimit vniuersalem. Hæretici decentem sanctorum cultum abolere conantes, se ipsos declarant ecclesiæ esse extorres. Ecclesia orthodoxa vel in laude diuorum se veram Christi sponsam declarat. Atqui cultus diuorum potissimum situs est in imitatione operum bonorum. Denique omnis gloria diuorum, redundat in ipsius gloriam Dei. Hoc enim sic in canticis suis fatetur ipsa ecclesia, cuius vox est: Maria laudatur propter fructum, qui queritur. Qui plura in hunc locum requirit legere, consulat Origenem apud Hieronymum translatum, Ambrosium, Bedam, Bernardum, Iustum Orgelitanum, Vuilramum abbatem Mersburgensem ad sanctum Petrum, Tuitiensem abbatem, Dionysium Carthusianum, & hoc genus alios patres catholicos. Iustus succinctus est. Non facit ad insanorum hæreticorum & schismaticorum stomachum cibus ille. Asinus stramina Ambrosiæ præfert. Faxit Deus, nos ecclesiam audire feliciter pergamus, Amen.

*Genera-
tionis, ec-
clesia est
vniuersa-
lis.*

IN FESTO VISITATIONIS

Marie, Euangelium, Lucae

primo.

E*Xurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zacharie, & salutauit Elisabeth, &c.*

P R A E F A T I O.

Attendamus hic fructum euangelij, & secundum hunc fructum veritatem euangelij æstimemus. Nihil hodiè euangelium, quam sese magno non murmure, sed ingenti clamore, de euangelica illuminatione iactare, alios è sublimi ridere, odisse, & nulla non violentia opprimere. Quis vnquam sperasset, antichristũ futurum manifestiorem? Et quis hodiè se magis illuminatum & euangelicum iactat, nisi qui insignis est aut Thraso, aut nepos? Breui videbimus, quot, quales & quanti diaboli se sub hoc prætextu euangelij illatebrarint. Qui suæ salutis cura tangitur, in hac euangelica lectione fructus euangelij veros perpendat, & eos proferre satagat, nè sibi ipsi verba det. Sunt & in hoc euangelio mysteria grandia, olim de Christo & de Ioanne Baptista prophetarum oraculis delineata. sed tunc primum huiusmodi mysteria nobis fient salutaria, vbi ea corde bono & perfecto audierimus: vt retenta, fructum aut sexagesimum, aut centesimum proferant.

Maria nobis inferuit.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zacharæ, & salutauit Elisabeth. In diebus illis, puta angelicæ annunciationis: in ipsa annunciatione angelus signum dedit virgini, non tanquam incredulæ, sed fidei, cui potissimum tale signum proficit. Achaz cõtempssisset. Sterilis & senio confecta matrona, prægnans facta, dater signum virgini, intactam posse spiritus sancti opere fieri fœtam. Vtrinque illucidatur potentia Dei, item clementia: sed exemplum Mariæ, plenum est Dei sapientia. Nobis datum signum credamus, quia nobis quoquè Maria per montana abiit. Nobis*, vt discamus, submissa hilaritate sacramentis vti datus, & vt virtutum exemplis studere operam demus. Ambrosius & Theophylactus testantur, Mariam non quasi incredulam per montana transiisse, sed vt lætam & prudentem. Læta de misericordiæ Dei exemplo erga cognatam Elisabeth, prudens in mysteriorum Dei indignatione. Læta item fuit de signo dato, prudens de exemplo virtutum nobis relinquendo. Abiit in montana: hæc sunt exordia euangelica, & Christus à baptismo, statim ductus à spiritu in desertum. Faceßat euangelicorum nostratium vanitas, qui

Euangelij exordium

saltem festantur iucunda. Cum festinatione. Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Ingressus angelus ad Mariam, non in publico versantem, sed domi contemplationi studentem. Hic vero Maria in publicum exiens, festinauit. Sanctus apostolus vult, mulieres esse custodes: nusquam ergo conuenientius agunt mulieres, quam domi Maledictæ saltatrices in circo, in foro, in aula, in comestationibus, & in hoc genus vanitatibus. Properent, etiam cum in publicum charitatis opus mulieres fideles pertraxerit. O quanta virtutum exempla nostrates petere possent in Maria, si disciplinæ eius quam Sapientia inuenit, & Iacob puero suo tradidit, capaces existerent. Sara, Rebecca, Iudith, Sunamitis, Hester, Elisabeth, Anna, Martha, Lydia, non coaceruarunt sibi doctores blandulos, quia optimo corde erant præditæ. Nostrates prurientes auribus prædicatores placentiæ prædicantes. Qualis magister, tales disciplinæ. Apostata apostatricibus probatur. Lenonem sequuntur aggrauatæ peccatis mulierculæ apostolum. Et quid nostratibus cum præceptis disciplinarum, cum bona opera existant peccaminosa, & damnationis meritoria? Placet itaque solius fidei prædicatio sola: cætera sunt papistica. Videant scurrilis verbalisque euangelij apostolæ, quid apostoli Petrus & Paulus scribant contra luxum vestium. Audiant & Ambrosij ethicon, dicentis: Discite virgines & mulieres, non circuncursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria, in domo sera, festinat in publico. Item, Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia. Cum festinatione, item est apud Marcum sexto, Qui in terra sancta peregrè fuerunt, dicunt oppidulum hoc quod Zacharias coluit, medium inter Hierusalem & Bethlehem esse situm, & domum Zachariæ, in templum atque in xenodochium esse conuersam.

Et factum est, ut audiuit salutationem Maria Elisabeth, exultauit infans in utero eius. Poterit & hoc festum à salutatione Mariæ dici, Festum salutationis Mariæ, tanti sacramenti plena est Mariæ salutatio. Officium humanitatis quondam erat, salutandi mos ille, in symbolon *Salutatio res sacrosancta.*

pacis & fauoris. Minores plerunque salutabant maiores: nisi se minoribus hi humiliandi animū induxissent. Vnde etiam hic humilitatem Mariæ poteris æstimare. De salutatione Moysis & Iethro, vide Exo. 18. De salutatione Saul & Samuelis, vide 1. Reg. 12. Dauid per inter-nuncios salutauit Nabal, 1. Reg. 25. Salutare, est salutem dicere siue imprecari, quod vides in salutatione Thoi, salutantis Dauida, 2. Reg. 8. Officiū hoc commendatur fidelibus Eccle. 22. 1. Corin. 16. 1. Thessal. 5. Ethnicis quoque ipsis officiū istoc erat sacrosanctum. Vnde ait. Saluta libenter. Sic salutauerunt inter se Agrippa & Festus, Acto. 25. Eius exemplorum plenę sunt omnes ferè historiæ. Est tamen piaculum, aliquos salutare, 2. Ioan. 2. Matth. 10. 4. Reg. 4. Quibus verbis Maria Elisabethā salutauerit, non constat. Certū est, benedixisse & optimè precatam esse. Nescias vtrum salutans, an salutata, magis exultauerit. O felix domus, in qua vox ea personit Mariæ salutantis: Verè domui illi salus cōtigit, immo etiam vniuersę humanę conditioni. Hęc est vox tur-turis, æstatis præuij: hac embryon Elisabethis exhilaratum. Non temerè factum, vt Helias & Messias, necdum nati, conuenirent. Elisabeth (ait sanctus Ambrosius) prius audit vocem, sed Ioannes concipit gratiam: illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum. Hic profunda & inæstimabilia intercedunt sacramenta, facessat ergo physica.

*Maria
vox dulcis*

*Elisabeth
repleta spi-
ritu sancto*

Et repleta est spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Euangelista dicit Elisabeth repletam spiritu sancto, vt liquefcatur, vnde & ipsa euangelizare cœperit. Obserua, verba angeli repetere Elisabetham, atque dicere: Benedicta tu inter mulieres. Verba repetitione creberrima omnium dignissima. Deinde dicit: Benedictus fructus ventris tui. Quis fructus? Benedictus, sanctus, beatus, benedictionis, sanctitatis & beatitudinis fons. O beata es filia Aaronis, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi hoc. Gaudet & exultat Elisabeth, quod illi contigerit videre natum mūdi seruatorem, plus de cōceptione Messię, quàm de proprij filij suæque alui impregnatione læta. Hęc tanta gaudia faciunt ipsam cla-

mare voce magna. Nihil hic dubium: habuit Elisabeth obſignatum verbum, quod prompſerat per ſpirituſan-ctum. Quemadmodum Simeon certus extitit per ſpirituſan-ctum, ſe Meſſiam in ſuis complexum vlnis, ſic & Eliſabeth certa fuit ſe videre Chriſtum in vtero ſuę ma-tris. Attende verbi virtutem: Repleta Maria gratia, repletur & Eliſabeth gratia: & eadē plenus, exultat nec-dum natus, Ioannes. Rogas vbi Zacharias hic latuerit, quòd tantę gratiæ particeps non extiterit? Reſpondeo: Suę incredulitatis pœnitentiã egit, non (quemadmo-dum noui euangelicaſtri noſtri de pœnitentiã ſentiũt) in conuiujs & compitis, non latus tanquam de re be-ne geſta, ſed plorans, ſe accusans, ſe à conſpectu homi-num ſubtrahens: quia pœnitentiã pœnalis eſt luſtuofa.

Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quę crediti ſibi, quoniã perficientur ea quę dicta ſunt tibi à Domino. Pergit ſacerdos electam Dei genitricem & ſemper virginem Mariam extollere. Benedixit Mariam, nunc in eius benediſtio-nis, hoc eſt, prædicationis atque laudis cumulum, fate-tur quanta beneficia per eius viſitationem & ſalutatio-nem acceperit. Vnde, ait, mihi hoc? Quafi dicat. Indigna ſum tanti officij. Ambroſius: Vnde mihi hoc? qua iuſti-tiã? quibus factis? pro quib? meritis? Miraculum ſentio, cognoſco myſterium. Mater Domini, Verbo facta, Deo plena eſt. Poſteã exemplo matris & ſe ſui Domini aduē-tus indignum fateretur baptiſtes, dicens: Tu venis ad me? Cui Dominus: Sine modo: ſic enim oportet nos imple-re omnem iuſtitiam, Matth. 3. Aſtimemus & obſtupeſ-camus & nos de ineffabili humilitate altiſſimi. Quã *Euãgelicis* ſe excelfus nobis ſubmiſerit, vide 2. Corint. 3. *fratres ha* *giomachi.* *Matth. II.* Obſeruandum hic contra euangelistas nouos, veruiles & hagiomachos, Marię virginis & omnium ſanctorũ glorię detrahentes, vbi cunq; poſſunt. Quãtum diuis detrahunt, tantum ſeipſos extollunt, propediem potenti manu humiliãdi. Dogmatites quidam nouos Mariam æquat peccatrici Luc. 7. & Syrophœniſſę Matth. 15. Sed ſpirituſanctus Mariam hic facit reginã cœli, omniũ maximo illam cohoneſtans titulo. Ait enim ſpirituſan-

*Mariam
prædicat
vehementiſ-
ſimè Eliſa-
beth.*

Et plena mulier: Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me? Theotocā vocat & prædicat Mariā. Quod si hoc facit spiritus sancto plena, sunt euangelici fratres illi, Marię laudi iniqui, spiritibus immūdis pleni omnes, & ipsis Turcis peiores. Nam & Turcarū Alcoranus Mariam omni laude fatetur dignissimam. Hic neq; veretur Elisabeth fateri, fructum ventris sui exultasse in vtero. Spiritus vbi vult spirat, Anabaptistę erubescant, qui gratiam noui testamenti angustē ad eō concludunt. Nō tam Elisabeth, quā Ioannes, spiritus sancto repletur: quod testatur illa eloquio, ille tripudio. Accedit huc, quod & Ioannes vocatur, antequam cōciperetur. Quare autem hoc? Nōne quia Deus vocat ea quę non sunt, tanquam sint? Quis ergo vocatos ad gratiam baptismi infantes, abigat & explodat, tanquam non sint? Beata quę credidisti. Beatum verē est, credere. Qui credit Deo, non confundetur. Cedat ergo ratiocinatio, cedant demonstrationes dialectices, vt relinquatur suum fidei meritum. Danda gloria Deo: quod qui facit, glorię Dei erit & particeps ipsē. Charissimi, visitamur & nos à Domino. Speciosi pedes euangelizantium pacem, annunciantium bona: discamus exemplo Elisabeth, aures euangelizantibus faciles accommodare, Deo deuoti seruire, Mariam prædicare: hoc est, discamus exemplo Elisabeth, credere & operari. Vtrinque enim salus, Ioan. 20. * 13. Matth. 5. 25. Ioan. 5. De fide Marię religiosē ait sanctus Augustinus lib. de virg. Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quā carnem Christi. Item, Materna propinquitatis nihil Marię profuisset, nisi felicius Christum corde quā carne gestasset. Sequitur:

*Anaba
pistatum
error.*

*Credere
beatum.*

*Maria do
mina, non
serua agre
lis.*

*Anima
quid i Ma
ria cōtice.*

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominū. Filia Abraham generosa, non cum agrariis & syluestribus euitrita in caulis, sed in tēplo educata, scriptura plena, Hebraicē docta, Hebraica dialecto hic loquitur. Anima hic accipitur pro omnibus viribus spiritus, mentis, cordis & corporis. Quasi dicat: Sentio Dei maximam erga me misericordiam: Dominum itaq; ex omnibus viribus mentis, spiritus, cordis & corporis, extollo, laudo atq; prædico. Similes locos pete Psalm. 145. Lauda anima mea Dominum. Psalm. 34. Magnificate Dominum mecum.

Magnificatur Deus cum prædicatur, Psalm. 69. Vide Act 19. item Luc 7. & 16.

Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo. Spiritus meus, id est, spiritus Dei in me. Theophylactus spiritum & animam dicit differre. animalem enim hominem dicit eum, qui secundum naturam vivit, & humanis rationibus regitur: ut si quando esuriens comedat, odio habeat inimicum, & in summa, si nihil supra hominem appareat. Spiritualem verò, qui transcendit leges naturæ, & non humano more sapit. Exultat itaque spiritus, hoc est, quicquid spiritualis doni in me est, Deo salutari meo id acceptum refero, gratias agens. Fatetur se nõ posse assequi quod velit & debeat. Similes modos loquendi habes Psalm. * Exulto in salutari tuo. Exultavit cor meum in salutari tuo, Psalm. 13. Exultat cor meum in Domino, primi Regum 2. Maria, David & Anna per unum loquuntur spiritum, in Deo exultantes duplici ratione: Primò, quia eorum est Deus: secundò, quia eorum est saluator. Exultatio hæc, est vnus fructuum spiritus sancti, Gal. 5. Rom. 14. Gaudium hoc crescet in nobis, 1. Ioan. 1. nec finietur vnquam, Ioan. 16. Esã. 51.

*Spiritus
in Maria
canto
quid.*

Quia respexit humilitatem ancilla sua: ecce enim ex hoc beatã me dicent, omnes generationes. Declarat suum salutare esse Deum. Verbum, Respicere, habet hic emphasim, quæ non semel in hoc verbo inuenitur. Respexit in me humilem, misericordia persecutus est me, viscera miserationum suarum ille mihi indignè non clausit suæ ancillæ, vnde me posthac beatam dicent omnes generationes. Me verò prædicando, duplicem gloriam Dei declarabunt. Neque enim propter meritum meum me prædicabunt, sed propter illius misericordiam immensam. Dixerat Elisabeth: Beata quæ credidisti: eo respicit. Quasi dicat: Ex hoc tempore non sola Elisabeth mihi clarissima, me beatam dices, sed omnium fidelium nationes, omnium piorum generationes, gratiæ Dei scientiam habentes, vno ore me in æternam beatam dicent. Similes locos habes Gene. 29. vbi ait Lia: Respexit Dominus humilitatem meam. In Græco legitur tapinosis. Item Psalm. nono & 25. Vide Domine humilitatem meam. Hebraicũ *Anuth*, Hebraico *Anah*

*Maria se
se humili-
ans exal-
tanda.*

respondens *. Nouit se Maria humiliare. Humilis in suis ipsius oculis quę fuerat, eam Deus Optimus Maximus nouit exaltare. Apis volatiliū minima vt est, sic etiam est vtilissima. Maria quoque quod se ita nouit humiliare, facta est ea, per quam omnis nostra dulcedo est orta. Beatam ergo eam prædicamus, vitam, dulcedinem & spem nostram. Aliud est quod Gene. 30. legimus Liam cū Aser peperisset, dixisse: filiæ beatam me dicent. Beata Lia, beata Maria. Sed quanto Christus Aser est maior, tanto Lia beator est Maria.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctū nomen eius.

Exegetis superioris versiculi. Dixit, Deum respexisse

*Maria do
minus ma
gna fecit.*

humilitatem ancillæ suę: nunc dicit, Dominum sibi magna fecisse. Antithesis: paruitas ancillæ, & magnificentia potentis Dei. Magna, quia Haalmam elegit eā, Esā. 7. Per eam fecit Dominus magnum aliquid in terra, vt mulier conciperet virum. Hęc sunt verē megalia, siue Latine magnalia, non reticenda, Eccles. 17. 2. Macha. 3. Luc. 8. Psalm. 126. Magnificauit Dominus facere nobiscum. Sed omnia quę magnifica fecit synagogæ, quota pars sunt, collatam magnaliti illis, quę præstitit Mariæ. Qui potens est, ait, & sanctum nomen eius. Nonne de suo potest facere quod vult? Miseretur cui vult, & nemo est qui arguat: quia sanctum est nomen eius. Nulli facit iniuriam, si alteri maiorem exhibuerit gratiam. Si oculus tuus nequam est, ait, quia ego bonus sum? Similes locos habes Psalm. 103. 24. Dynatos, Hebraicè *Gibbor*, potens, quod hic est apud Lucam. Sanctū est nomen eius, Psalm. 111. Vides Mariam in *Thehillim* fuisse exercitissimam.

Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.

*Misericor
dia Domi
ni ter ma
xima.*

Apta & sacrosancta appendix. Magna mihi fecit, & nemini suam misericordiam negauerit. Misericordię eius nullus est finis. Quę prisca secula, Dei miserationibus non sunt plena? Quę gens Dei clementiam non est experta? Quis homo gloria Dei non est oppletus? Gratię glorię Dei detrahat, qui eam vnquam exhaustā & clausam sibi sensit. Quemadmodum à condito mundo gratiam suam nulli negauit, ita & vsque in finem mundi omnibus exponet. Beatū os, quod euangelium hoc pronunciauit.

nunciavit. Beatus venter qui clementiæ autorem portavit. Similes locos habes Psalm. 105. & 136. Misericordia Domini manet in æternum. Porro quod misericordia Dei potissimum manet Deum timētes, vides etiam Psal. 33. 115.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Aptissima Deo suo tribuit, in superioribus, epitheta: quæ iam incipit per magnifica declarare gesta. Dixerat potentem, magnum, misericordem, &c. Omnia ista altius repetens, sex argumentis dilucidat. Primum hinc insinuat, dicens: Fecit robur in brachio suo Dominus dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum. Præcipuum Dei opus, expugnare superbos. Hic suam ostendit potentiam, non sine tyrannos sicca morte ad inferos descendere. Hic unà cum sua gloria & pauperum quoque ipsorum cornu exaltat. Exemplum esto Pharaonis, Abimelec, Amorrhæus, Chanaan. In Sennacherib præferti gloriose apparuit. Suam potentiam propriè exercet quotidie in satana spiritu superbiæ. Superbis Deus propriè resistit. Unde Babylonem ridiculum opus toti mundo permanere voluit, Gene. 11. Vide de hac re Psalm. 68. Quæ, malum, verò cæcitas tyrannorum, qui contra tam manifesta exempla, & contra Mariæ virginis alia multa oracula non obscura, audent gigantæo furore Deo se opponere? Sunt qui ex istoc facinore egregiam se laudem relaturos confidunt: quales præcipuè sunt hæretici. Apostolus ad stipulatur Mariæ, dicens: Nō proficient amplius. Dementia eorum manifesta erit omnibus. Moabitastales robur diuinum etiam antea profstravit. Amantes ergo sunt, qui cordium suorum cogitatione sibi magna contra veritatem, quæ Deus est, pollicentur. De brachio potenti vide Exo. 15. Psalm. 77. 89. De dispersione superbiorum, vide Psal. 18. Mala. 4. &c.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Secundum & tertium argumentum gloriæ magni Dei, hic Maria succinctè perstringit. Volunt tyranni huius seculi, dii haberi, Dei, à quo exaltati sunt, obliuiscētes, de domino sibi credito, sese effequentes. Huc refer Psal. 112. Exempla huius loci sunt Og, Seon, rex Hai, rex Amorrhæorum, Nabuchodonosor, Aman, & omnes tyranni in

*Tyrannos
deprimis
Deus.*

*Tyranni
non sunt
dij.*

quorum depreſſione exaltati ſunt pauperes, & lætata eſt ciuitas Dei. Porrò (vt eſt apud Theophylaſtum) detrahit etiam potentes de ſede, phariſæos nimirum, & exaltauit humilia ſentientes. Secundùm illũ ſenſum iterum minuitur ſpirituſſanctus hæreticis, in ſua ſeſe extollentibus ſapientia.

Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Quartum & quintum argumentum potentis & miſericordis Dei audis. Secundùm literam accipe hic diuitias & paupertatem rerum familiarium. Vt ſit ſenſus: Qui Cræſus erat, factus eſt Irus: & vicifſim, Irus quiſpiam euasit in Cræſum: certo, ſed occulto Dei iudicio. Neque enim opus dixerit artifice, Cur me ita finxiſti, Roma. 9? Maria per eſurientes hic intelligit inopes, quod vel ex oppoſito liqueſcit. Opponit diuites eſurientibus. Schemate eodem diuites ſaturos & adipoſos appellare poſſumus.

Halma itidem beatiffima, hic diuitias ſchematicè vocat bona, quemadmodum etiam Lucæ 12. Anima mea, habes multa bona. Similis locus eſt Pſal. 103. Dimittuntur inanes, qui ad inopiam & (quod aiunt) ad raſtros rediguntur. Simile vides dictum Lucæ 20. Sententia ſimilis eſt apud Salomonem Eccl. 4. Summa: capite cenſos ex contracta paupertate Dominus Deus in ſummam opulentiam euehere poteſt, & dites quoſque ad ſumma rerum omnium affluentia* canalicolas pannòſos reddere. Timendus ergò diuiti, & in ipſo ſperandum miſero.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, memorari miſericordiz ſuæ. Hoc eſt ſextum & præcipuum Dei opt. max. potentiz & clementiz argumentum. Nouiſſimum hoc argumentum poſuit ſapiens virgo, quia & nouiſſimè poſt angelorum & prophetarum eloquia, ipſa quoque locuta eſt ſapientia, Heb. 1. Benignus & clemens à condito ſeculo Deus apparuit in perſonis priuatis & publicis, ſingulis & vniuerſis, ſequè ſolum Deum oſtendit. Nouiſſimum omnium eſt, quòd expectatum vnicè Meſſiam Iſraeli miſit. Summum hoc omnium eſt, quia Meſſias ipſe Emanuel & conditor eſt omnium. Attende verba virginis: Iſrael non ſolum vocatur ille, qui eſt ſecundum carnem: verum etiam is, qui eſt ex imitatione fidei, quem Apoſtolus vocat Iſraelem Dei, Galat. 6. Item Roma. 9.

*Dominus
pauperes
facit &
ditas.*

*Chriſtus
Iſraelis
puer &
ſeruus.*

Item Israel vocatur filius Dei, quod Deus à fidei Israele pater vult vocari, Hiere. 3. Malac. 1. Secundùm Hebraicùm idioma potest hic locus reddi, Israel serui sui, quemadmodùm est apud Esaiam 42. & psalm. 136. *Le Israel abdo.* hoc est, Israel seruum suum, Israelem suum siue filium, siue seruum, Dominum rursus suscepisse, Maria dicit. Quasi dicat: Visus fuit districtus Deus Israelem planè non nosse, immò explosisse, sed ecce peculium suum adhuc clementer agnoscit, & charum habet. Simile est quod Dauid ait: Dominus suscepit me. quod ex Græco profero, quoniam & sanctus Lucas hunc locum Græcè protulit, quod ex eo quod sequitur, Pædos autu, i. pueri sui, colligi potest. Rom. 14. legis assumere. Nec à vero sensu aberrauerit, qui legerit, Recipit Israel. Item Psal. 98. legis, Recordatus est misericordiæ suæ Iacob, & veritatis suæ domui Iacob. ex Græco.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Appendix epilogica cita: Verbum Domini manet in æternum: quia Deus veritas est, seipsum negare non potest. Vndè & veritas nomen eius est, Apoca. 19. item Ioan. 3. Roma. 3. 1. Cor. 1. 2. Tim. 2. Deinde epilogus submonet, ne nos filios desertores constituamus, qui consilium ineamus, & aliquid decernamus, non ex Domino: ne relam exordiamur, & non per spiritum Domini, peccata duplicando, Esaiæ 30. Nihil hic ex casu factum, nihil hic in fraudem alicuius gentis est intentatum. Omnia simplicia, omnia vera, omnia salutaria, quia æterni Dei consilij hic est certitudo manifesta. Ah vos, Iudæi, conuenio: vobis Abrahami, Isaaci, Iacobi, Davidis, Salomonis, & aliorum hoc genus est notitia. vobis oracula prophetarum sunt satis perspecta. negare non potestis, in semine Abrahamæ, benedictionem promissam omnibus gentibus; Gen. 22. Vos item non potestis inficias ire, hoc semen de Christo accipi oportere; Ge. 16. *Quare agite filios Abrahamæ & prophetarum exhibete, de oraculis prophetis & iureiurando Abrahamæ dato, rectè sentiendo.* Maria Abrahamum vocat patrem, quia sanguis Abrahamæ fuit. sed illa paternitas, per spiritualem paternitatem iam est abolita. Nunc non cognoscit Abraham carnales, sed filios spirituales. Si ve-

*Maria
Iudæorū
pater fuit
Abrahæ*

rò carnales nescit, non aliter id fit, quàm ad exemplar hoc, quo diuiti nepoti dicit: Fili, recordare quæ *tu recepisti bona in vita tua.

Attende Prophetissam veram Mariam quid vsquàm ex eius verbis aliud euincas, quàm veritatem confessam, apertum Dei verbum? Vndè repetitiones crebræ, Sicut promisit, Sicut dixit, Sicut iuravit. Tanti fuit, apud filios Abrahæ veros, Dei verbum. Prophetissam eam quis non admiretur? quis non veneretur? Hæretici agrariam & vilem, nympham eam habent: Iudæi non Mariam, hoc est, dominam & reginam cæli, sed Hariam, hoc est, instar fimi vilem, blasphemant. Nos cum Elisabeth matrem Domini profiteamur, & secundum ipsius verbum ipsam beatam prædicamus: quia in ipsa sanctâ Trinitatem nos exaltare non dubitamus, patrem, filium, & spiritum sanctum. Cui laus sit & gloria per æterna secula, Amen.

IN FESTO VISITATIONIS MARIE, Luc. 1.

Exurgens Maria, abiit in montana cum, &c.

¶ Sensus protreptici sectio.

- 1 *Fides sana sacramenta non contemnit, bene operari non superfedet. vtriusque Maria est exemplar.*
- 2 *Sanctos decet collaudatio, maxime Mariam, quæ est omnium virtutum specimen.*
- 3 *Sanctorum gloria redundat in duplicem Dei laudem.*

¶ DECLARATIO.

1 *Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione &c. Signum datum Mariæ, vtrique credenti. Signum hoc ipsum non respuit. Contrarium vides in impio Achaz. Esa. 7. Mariæ abiit cum festinatione non differenda sacramentorum participatio. ~~Qui non vult participare, non debet accedere.~~ Sic viuendum est Christiano, vt quotidie accipere possit. ~~Quis non vult participare, non debet accedere.~~ Fides etiam non est ociosa, modo sit vera & viua. Congaudet Mariæ gaudenti. Laboriosa, quia incessit per montana: Taciturna & solitaria, quia intravit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Apostolus condemnat viduam vagam, discurrentem per domos. magis puella virgo sola degere debet: cum mulieribus non*

lauet, ad nuptias non eat, monitore Hieronymo ad Letam de institutione filia. Item Apostolus condemnat viduam garrulam: puella garrula monstrum habendum. Silentium ornat fœminas. Quatuor Euangelistæ Mariam locutã scribunt: primò cum Angelo, secundò cum Elizabeth, tertio cum filio, quem post triduum inuenit amissum, quartò in Cana Galilæe. Viderit quisque cum quo loquatur. Contra garrulitatem vide Psal. 139. Pro. 10. 13. 15. 17. 19. 25. Sicut vrbs absque muro. 29. Videsti hominem velocem &c. Item Mat. 12. Iacob. 1.

2 Benedicta tu inter mulieres. Gloriosus Deus in sanctis suis. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, Psal. 86. Laudemus viros gloriosos Hester, Iudith, Rachel, Sara, omnes umbra collata cum Maria. O gressus sacros, o vestigia adoranda, in quibus verè nata omnia virtutum aromata, hyssopus humilitatis, lilium puritatis, palma victorie, oliua clementia. Adoranda, inquam, vestigia maxime hæc, quæ prima Emanuelem sustinuerunt. Summa: Maria digna, quæ meruit portare regem gloriæ. Meruit autem testimonia & ceteris virtutibus, fide, spe, & charitate. Corpus nõ stupro, sed Domino. Mundi corde, vident Deum. Talibus hostiis placatur Deus. Heb. 13. Aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, Sap. 1. Credenti omnia sunt possibilia, Marc. 9. Digna quia electa & præelecta. Beata quæ credidisti.

3 Magnificat anima mea Dominum &c. Sancti sibi nihil ex collaudatione Ecclesiæ arrogant, nihil inde sibi reseruant. Psal. 113. Non nobis Domine, non nobis, &c. Apo. 4. proiciunt coronas suas ante pedes Agni: Maria ait: Magnificat anima mea Dominum. Gloria Dei duplicatur in laude sanctorum. Radius solis immixtus speculo & crystallo, splendet duplo. Non tã gloriosus & mirabilis Deus in cælo, atque in sanctis. Hic fortitudo fidei quæ vincit mundum, hic virtutum fortia facta, quibus oblectatur Deus, Omnia Gratia Dei ascribenda. Et gloria sanctorum, premia varia pro meritis variis, in prædicationem redunt gratia Dei, quia suum opus in nobis coronat.

IN DIE SANCTAE MARIAE MAGDALENÆ, epistola Rom. 5.

Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, &c.

PRAEFATIO.

STATUS epistolæ ad Rom. est confutatio vanæ glo-

POSTIL. VVICEL. SVP. EVANG.

riæ eorum qui ex Iudaismo ad Christum peruenerunt, gratiæ euangelicæ manna, legis fermento exacerbare conantes. Apostolus Iudæos eos & ethnicos in eandem ecclesiam conflatos, conciliare laborat, nullam in ecclesia contentionem suffert, quia vnus pastor vnum ouile requirit, Eph. 2. Ioan. 10. Apostolus itaque ingenuè fateatur, Iudæos legis custodia gratiam baptismi non meruisse, nullam hic meritorum legis prærogatiuam, solam verò ~~est~~ æstimari oportere. Nihil Iudæos ethnicis præstare, ratione meritorum legis operum: ethnicos enim eadem ~~est~~, eandem in ecclesia coram Deo habere gloriam, Gen. 15. Haba. 2. adducit, sententiam suam declarando. Non patitur item Apostolus, Iudæos gentibus legis onus obtrudere, Gal. 5. Roma. 10. Suffragatur Apostolo omnium senatus Acto. 15. Denique gratiam Dei infinitam & immensam, studiosè in hac epistola commendat, quippe quòd sola ea & gentes & Iudæi saluentur. Eius loci præcipuum est, quod iam nobis in præsentì lectione edisserendum sancta mater commendauit ecclesia: cui nunc satisfacere studentes, ad lectionis eius interpretationem aggrediamur.

Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Ex præcedentibus apparet, Apostolum hic loqui de Adamo protoplaste. Adamo adscribit peccatum, & peccati auctoramentum condemnationem: Christo salutem tribuit. Adam præuaricatus: Christus patri obediens fuit vsque ad mortem, nec dolus vllus in ore eius est inuentus, Esa. 52. 1. Pet. 2. Lex clementiæ in eius lingua. Verba vitæ habuit. Infert itaque Apostolus, neque Adamum sibi soli peccauisse, neque Christum sibi Deo obediisse. Illius est iniquitas, huius iustitia. Rogas, quomodò potuit vnus delictum perdere multos, cum anima quæ peccauerit, ipsa perire habeat, Ezech. 18. Onus item cuique suum portandum existat, Galat. 6? Respondeo, Hic considerandum & ritè æstimandum verbum Domini, *Lo tho chalmimenu, Ki beid achalecha mimenu, mosh thamuth*, Hoc est, Noli edere ex eo: in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris, Genes. 2. Tunc cum hæc lex erat lata, nullus adhuc hominum erat aut

*Xpi gra-
tiam*

*Xpi gra-
tiam*

*Ad de-
lictū quo-
modo om-
nes dam-
nare potu-
erit.*

conceptus, aut natus. Præuaricatus itaque Adam, & reus extra paradysum eiectus, nos in hac lachrymarum valle miseros, puta peccaminosos, genuit, & Deo odiosos effecit. Hoc est, nasci ex carne & sanguine, Ioan. 1. Hoc est peccatum originis siue traducis, affectus, concupiscentia, morbus, culpa, reatus. De peccato isthoc ait Dominus Gen. 6. *Peccal ietzer mahsiboth libbo rek ra col haion*, hoc est, Videns quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Postea Gen. 8. eadem verba vides fere repeti, nempe cogitationem hominis esse peruersam à teneris vnguiculis: quod peccati originalis argumentum est euident. Exprimit item peccatum traducis, quod Dauid dicit omnem hominem esse mendacem. Psal. 115. Non est homo qui non peccet, 2. Par. 6. Ecc. 7. Nemo est qui faciat bonum, Psal. 13. 105. Peccauimus cum patribus nostris. Apostolus quoque ait, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Vel gloriæ Dei sunt vani, vacui, destituti, Germanicè Gottes preises entsetzt. Huc facit, Non intres in iudicium cū seruis tuis Dñe. Psal. 142. Ité, Omnes nos facti sumus immundi: & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Hæc & hoc genus alia, peccatum traducis declarant, naturam vitiatam & contagiosam esse ostédunt. Eccè enim, ait, in peccatis cōcepit me mater mea. Adami filij sumus vniuersi, massæ corruptæ opus putre. In carne nostra nihil boni habitat, Ro. 7. Rabini veteres etiam peccatum originale confitebantur, carni & sanguini innasci, appellarunt itaque *Ietzer hara*, hoc est, cogitatio mali. Nomen hoc ex Gene. 6. 8. acceptum esse apparet. Conferunt hoc, *Ietzer hara*, filo serico interim dum homo puer est: rudenti vero siue camelo, vbi homo adoleuerit comparant. Contagiosam item habem eam adstruunt ex testimonio Esa. ca. 43. vbi dicitur, *Abicha harischon chata*, hoc est, Pater tuus primo peccauit. Ecclesi. quoque 9. de peccato dicitur, quo multi boni pereunt. Quid ergo miseri hodiè peccatū originis negant? Nos neque Iudæos, peccati eius dissimulatores: neque Pelagium, eius mēdæ inficiatorem, alicuius momenti habemus, catholicis consentiendo. Solus Augusti. factis est potens ad omniū & Iudæorum & Pelagianista-

Peccatum originale ostēditur.

Peccatum originale fatebatur etiam veteres Rabini.

*Christus
ex virgine
natus, pec-
cati origi-
nis vacuus
existit.*

rum narias confutandas. Videt nunc vestra charitas A-
postolū hic in peccatū originis respicere, vt indē etiam
colligat, nos Christi gratia sanari omnes. Dicit Christū
quoque esse carnem & sanguinem Adæ? Rectē. Sed con-
ceptum per spiritum sanctum ex virgine verbum, inqui-
nationis nullam habuit rationem. Omnia nobis similis
sine peccato, He. 4. In similitudine carnis peccati, Ro. 8.
Forma serui, atque adeo specie peccatoris, in mundo de-
git. Sed serpens sine veneno. Aeneus serpens per omnia
serpentem refert, sed virus non habet malum. Tantum
abfuit vt Christus peccatum commiserit, vt magis cōtra
ipsum remedia in sua sancta carne habuerit, neque enim
parui momenti res est, filium Dei hominem assumpsisse.
Caro ea sanctissimæ virginis verbo vnita, à verbo sanā-
di efficaciam recepisse quis non videat? Potuit Adam nos
inficere naturæ propagatione, potuit Christus nos expia-
re carnis assumptione, & gratiæ per fidem communica-
tione. R nascimur itaque in Christo semel per Adamum
nati. Hic carnaliter, illic spiritualiter. Hic sperma for-
dum, illic verbum expiatorium. herba *borith* & ignis cō-
flans semen, intercedit, 1. Pet. 1. Ioan. 1. 3. Tit. 3. & c. Bapti-
zati, illuminati, & spiritu sancto repleti, liberi arbitrij ia-
sturam recuperauimus, peccatum ergo in nobis, modo
velimus ipsi, regnare non potest. Præstare possumus hoc
quod præscribitur Gen. 4. Subter te sit appetitus tuus, &
tu dominaberis illi. Si hoc non possumus, quorsom spi-
ritus nobis daretur? Quid spiritualia nobis commenda-
rentur arma A&. 1. Ephe. 6? Adam minor Christo, Ada-
mo potentior Spiritus vehemens Christi. maior Dei gra-
tia, diaboli inuidia.

*Liberi ar-
bitrij sunt
quib^o pec-
catum nō
potest dā-
nari.*

*Sicut enim per inobedientiam vnus hominis, peccatores consti-
tuti sunt multi: ita per vnus obedientiā, iusti constituentur multi*
Præstantior est spiritus Dei, spiritu huius seculi. Sic &
obedientia Christi efficacior est, quam inobedientia Ada-
mi. Meritum Christi maius culpa Adæ. De culpa Adæ vi-
des Gene. 2. 3. De merito Christi, audi Apostolum Phili.
2. factus est obediens, ait, patri vsque ad mortem, mor-
tem autem crucis. A ligno mors nata, in ligno mors mor-
tificata. Voluptas Adæ non fuit tanta, quanta pœna fuit
filij Dei Iesu Christi. Adæ inobedientia quibus nocuit?

Nonnè omnibus mortalibus? Christi ergo obedientia e regione quibus profuit? nonne omnibus hominibus? A postolus supra dixit, omnes homines: hic dicit, multi homines, sed in eodem sensu. Sanè omnes homines in peccato Adæ sunt contaminati, & gloria Dei destituti. Hic obiciis, non omnes per Christum saluari, qui per Adamum sunt damnationi obstricti. Respondeo, Apostolum hic loqui de prædestinatis iis, qui verbum Dei audiunt, Baptizantur credentes, & verbum custodiunt.

*Saluator
omnium
quomodo
Christus.*

Satis fecit Christus, quantum oportuit, pro omnibus: ergo omnes liberavit. Si ingrati plerique gratiam eam aut negligant, aut temnant, culpa sua percunt, qui Christi gratia salui esse poterant. Cæterum quotquot saluantur, omnes Christi gratia seruantur. Hoc est, quod Apostolus 1. Tim. 1. dicit, Deum velle omnes homines saluos fieri, puta per Christum, sine Christo neminem. Apostolus totus est in hoc capite, vt & mortis occasionem & vitæ authorem declarat. Supra ait: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, &c. Hic ergo ostendit, gratiam quoquè & vitam per vnum hominem mundo esse restitutam. Adam bracht leid, Christus gibt freud. Adam attulit calamitatem, Christus alacritatem nobis peperit. Per Adam intellige peccatorem, inobedientem, damnatum, mortuum, &c. Per Christum intelliges natura sua bonum, iustum, & beatum, bonitatis, iustitiæ & beatitudinis amatorem, &c. Iam ex præmissis satis liquet, vnde peccatores simus. liquet item vnde simus iusti, vnde mors, vnde vita. Carni bellum indicamus, iustitiæ operam demus, cum sciamus Deum operum bonorum nostrorum haudquaquam obliuisci. Obedientiam Christi non verbis, sed imitatione probemus. In obedientiam Adæ corrigamus, vtrinque gratiam Dei in nobis excitando. In Adamo eramus mancipia peccati, in Christo liberi ad præstandam iustitiam. Videamus, nè qua ingrati simus, atque adeo digni iudicemur, à quibus gratia ea auferatur.

Lex autem subintravit, & abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia. Vult ostendere, decuplo nos per Christum recepisse, quicquid in Adamo perdidimus. Primo itaque ostendit, legem nobis vulnus

*Christus
nobis decu-
pulo resti-*

*uit, que
in Ada-
mo an-
sumus.*

nostrum ostendisse, vt gratiæ Dei erga nos amplitudi-
nem indè disceremus. Lex ostendit nobis profunditatem
peccatorum: indè gratiæ superabundantiam facile co-
gnoscemus, nempe eam esse profunditate ipsa profudio
rem. Vult dicere: Lex inter Adamum & Christum inter-
cessit, multa præcipiens & multa prohibens. Ante legem
Mosis, peccatum quoquè in mundo fuit, filios Adæ occu-
pans: sed peccatum adeo omnibus non erat notum, quan-
tunuis lex naturę vel conscientias mortalium excusaret,
vel accusaret, Rom. 1. Adeo clara peccati cognitio non
fuit ante legem mosis, atque in lege. Lex expressè ea, quę
aut Deo aduersa aut grata sunt, explicat. Lex ostendit ty-
rannum latere in carne. Summa, per legem agnitio pec-
cati. Item, Lex peccati virtus, 1. Cor. 15. Non tam quod

*Lex vir-
tus peccati*

aut occasionem, aut iritamentum ad peccandum nobis
præbeat, quam quod tyrannum peccati intrinsecus late-
tem prodat, hominemque reum peccati agat. Hic dolor,
hic tremor. Huc facit quod Apostolus ait Gal. 3. Legem
propter transgressores esse, puta peccati eos in simulado.
Hoc est, vt sic peccati abominatio & moles per legem
cognoscatur, vt homo ad gratiæ longe maiorem vim in-
ducatur. Tam in consideratione legis, quam in euange-
lij contèplatione est admiratio: sed illic stupida, hic con-
solatoria: Illa mentem considerare cogit, hæc collapsam e-
rigit. Hinc liquefcit, Mosis legem nos ad Christi grati-
am potissimum præparare. Per legem vides, quid Chri-
sto debeas. Si peccatum immensum, gratia decupulo est
immensior. Quanto Christus Adamo præstat, tanto eti-
am gratia præuaricationem superat. De hac re audiatur
Ambrosius in præsentem lectionem, vbi ait: Necessaria
lex, vt ostenderet imputari apud Deum peccata, quę im-
punè fieri credebantur. Item Hieronymus: Manifesta est
quantitas peccati, vt sciretur gratiæ magnitudo, & redde-

*Euāgelio
virtus in-
sificationis
ni.*

remus competens debitum charitatis. Vides peccati su-
perabundantiam, cui nunc etiam addas gratiæ excellen-
tiam. Peccatum mundi vniuersum omninò ablatum vi-
des 1. Ioan. 2. Peccata remissa credentibus, & opera pec-
nitentiæ digna designantibus, Mat. 5. 16. Luc. 7. 13. Ro. 2.
Chrysostomus gratiam Christi magnificat per similitu-
dines. Primo, Si fœnerator quispiam nomina sua sol-

uendo non existentia, in neruum conuiceret, ac tunc eum in carceratum homo aliquis benignus redimeret, & magnis insuper diuitiis locupletaret. Secundo, Si quis febribus acutis laborantem, non solum è februm paroxismiss omnibus liberaret, verum etiam insolitam quandam salubritatem superinduceret. Tertio, Si quis mendicum non solum satiet, verum etiam dominum eum ac regem constituat. Non possum mihi temperare, quo minus ex Chrysofostomo verba quædam in hunc locum adducam. Dicit ille: Non enim solummodo accepimus ex gratia, quantum ad sublationem peccati opus habebamus, sed multo plùs. Et enim & à pœna liberati sumus, & malitiam deposuimus omnem, regeneratiq̃ue sumus è supernis, resurreximus, vetere sepulto homine, redempti sumus, sanctificatiq̃ue, & in adoptionem filiorum Dei inducti; sumus iustificati quoque, & fratres facti sumus, cohæredes q̃ue vni geniti, immo & eiusdem cum illo corporis, inque carnem illius censemur: & quemadmodum capiti corpus, ita illi coadunati sumus. Hæc itaque omnia exuberantiam gratiæ vocauit Paulus, ostendens quod non solum æquiualens vulnere pharmacum accepimus, sed & sanitatem, & pulchritudinem, honorem quoque & gloriam: & in summa, dignitates, naturam nostram multum trãscendentes. Erat autem vnumquodque istorum per se sufficiens ad dissoluendam mortem. Quum vero omnia simul concurrere videantur, iam deinceps illius neque vestigium aliquod, neque vmbra poterit apparere, eo quod funditus sit omnino delera & obscura.

Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Christum Iesum Dominum nostrum. Tyrannis peccati diu in carne regnavit, ludum suum diu lusit. vnde nihil vndiquè, nisi mors & perditio, mortalibus superfuit. Peccati obsonium mors, Rom. 6. Suum tempus cuique est rei. Vicissitudo omnium rerum est. Quare peccatum perpetuo non debuit regnare. Fas non fuit, quantum ad diuinam sapientiæ æternæ prædestinationem, vt mors æternaliter hic omnes deuoraret. Succedere debuit peccato & morti contrarium aliquid, nempe regina gratia. Deus siquidem æquè

Tyrannidem peccati, ritè sequitur regnum gratiæ.

POSTIL. VVICE. SVP. EPISTO.

est clemens, ac iustus. Iustitia in Adami iudicio & con-
 dēnatione satis fuit illustrata: superfuit igitur, vt & Dei
 declaretur clementia. De tyrannide peccati & mortis,
 vide Gene. 2. Quacūque hora comederis ex hoc ligno,
 &c. Item, Homo qui peccauerit, morietur, Ezech. 18, Itē
 per totam legem hoc agitur. Caro occidua, eius rei ad-
 huc est testis. Infernus tot millia heroum & giganto-
 rum huius seculi absorptos retinens, huius loci est te-
 stis. Non est igitur, quōd superstitiosè locum eum pro-
 bare inuigilem. Superest igitur, vt etiā de gratia Dei
 aliquid dicamus. Gratia, quæ Græcè *χρησις* dicitur, mul-
 tipliciter accipitur: quantum ad nostrum præsentem ser-
 monem, accipitur pro concessione beneficij meritorū
 Christi, & pro dono spiritus sancti. Gratuita est. Nam vt
 Apostolus ait, Gratia esse non potest, si meritum inter-
 cedat aliquod. Gratia est gloriæ mater. Præcedit gloriā
 gratia. Vides reginam diā. Cōfer culpam, confer pec-
 catum, & apparebit regina illa gratior aliquanto atque
 magis iucunda. Peccati fœditatem vt intelligas, æter-
 nam æstima perditionem. Q. horrendam tyrannidem in
 gehennam omnes demergentem. Nōne gratior gra-
 tia est, ex abyssō damnationis in excelsū gloriæ homi-
 nem exaltans? Cui non sufficiat gratia? Sufficit tibi, ait,
 gratia mea. Super argērum & aurum gratia bona, Pro-
 uerb. 22. Gratia per Iesum Christum est exorta, Ioan. 1.
 Tit. 2. 3. Tāta regina ea est, vt dicere possimus, Sola Dei
 gratia iustificari & Iudæos & gentes. O felicem eccle-
 siam, cui contigit gratia pro gratia. Lex per Moſen est
 data, gratia & veritas per Christon est nata. In Ecclesia
 itaque regnare debet iustitia, non peccatum. Per Chri-
 stum nobis contigit libertas, non innata, sed per gratiā
 nobis data. Gratiam item sequitur gloria, hoc est, vita
 æterna. Stipendium peccati, mors: donum autem Dei,
 vita æterna. Vides hominem iustificari Dei gratia: vi-
 des item hominem Dei gratia iustificatum, manere cæ-
 lestem gloriam. Chryſostomus ait: Si habes iustitiam,
 noli sollicitus esse de vita. Iustitia siquidem vitę est
 mater, intellige de vita æterna, quę iustorum est. Ambro-
 sius quoque ait: Sic autem regnat gratia per iustitiam, si
 accepta remissione peccatorum iustitiam sequimur, vt

*Gratiava
 riē accipi-
 tur.*

*Gratia so-
 la iustifi-
 cat & Iu-
 deos &
 gentes.*

vidēs gratiæ fructum se habere in bonis quos redemit, regnet in vita æterna, sciens nos futuros æternos. Hæc ille. Solam gratiam iustificare diximus, non cum nouis apostolis charitatis merito derogantes, non solam, meram & nudam fidem, charitatis expertem, ad iustitiam sufficere dicentes. Charitas siquidem, iuxta ac fides, in gratia comprehenditur. Et gratia tametsi gratis detur, opus tamen bonum requirit. Nisi enim bonorum operum gratitudine foueatur, perit. Ex nouo euangelio sequitur: Faciamus mala, vt veniant bona. Nouum hoc euangelion, est vetus hæresis per Apostolum damnata, Rom. 3. Vetus euangelion est, Habēti dabitur, Gratias pro gratia, Ex claritate in claritatem, Sanctus sanctificetur adhuc. Ne in vacuum gratiā Dei receperitis, &c. 2. Cor. 6. Tit. 2. 3. Væ qui ore Deum confitentur, factis verò negant, Psalm. 49. Tit. 1. Stultus est qui ædificat super arenam, hoc est, hæresin noui euangelij speciē mentientem, Matt. 6. Spermologi igitur insani sunt, nō theologi Christiani, homines doctrina folius fidei demerentes: & propter egregiam eam doctrinam, tantā tragediam in ecclesia Christi cōcitantes. Væ seruis ociosis, qui in æternum ignem sese enutriunt, Mat. 25. Iac. 5. Attendite vobis à falsis prophetis. Veniunt in vestimentis ouium, subinde Paulus Paulus, Euangelion Euangelion, clamitantes. Putant neminem vnquam Paulum vel legisse vel intellexisse. Blaterant, Euangelion Germaniam nunquam syncerum *Luterisch* habuisse. Exitus acta probabit. Dominus Deus spiritum superbix eum perdat, & ecclesix suæ pulchram pacem reddat, vt in gratia tanta subinde sancti sanctificemur adhuc, in laudem gratiæ Dei, Amen.

*Gratia
charitatē
inuita atq;
fidem com-
plectitur.*

IN EODEM DIE SANCTO NATA-
lis B. Mariæ Magdalenæ, Euange. Luc. 7.

Rogabat illum quidam de pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisæi, discubuit. &c.

PROOEMIUM.

DEi amantes timentesque fratres, quis vnquam magnatum filius hominis, talem diuinæ clemetiæ laudem meruit? Habet adulatorem Valerium Maximum & Martialem Domitianus: Augustus, Vergilium,

Horatium & alios. Sed nihil tale de suis diis etiam fingere potuerunt insignes adultores illi. Euangelista non iter habuit specimen diuinum, quod verè de Christo memoriæ commendaret. Tres hic potissimum adnotauit personas, duas sibi pugnantes, tertiam vtranque harum ab indignatione erronea afferentē. Phariseus simulauit innocentiam, peccatrix dissimulare non potuit suam immunditiam. Vnde inter has personas internecinum intercessit odium. Christus verò qui propter peccatores venit, Matth. 9. Mar. 2. hanc cōsolari, illam corrigere, vt vtranque seruaret. Sic & seruatus apostolus Paulus, per correptionē, qua ad sui agnitionem venit: & per cōsolationem, qua Christum soteri mundi agnouit, 1. Tim. 1.

*Pharisæorum insyn-
ceritas.*

Rogabat illum quidam de pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisæi, discubuit. Phariseos in seipso Christo fuisse, omnes euangelistę testantur. Vnde necessitudinem quandā cum Christo inierunt, vt calumniandi ansam inuenirent. Obseruant itaque, Luc. 14. Rogāt de tributo Cæsari dando. Matth. 22. De diuortio, Matth. 19. De resurrectione mortuorum, Matth. 22. De auctoritate eius doctrinæ, Matth. 21. Multa præterea Lucæ 11. Omnia captiosè, dolosè & insidiosè, Lucæ 20. Accessit & aliud genus hominum, non minus Christo infestum, saducæi. Sic hodie ecclesia impugnatur à superciliosis pharisæis, & à deploratis hæreticis: ne pharisæis Iannes, Mambres, Diotrephes, & Simon Magus, & si quid illis foedius atque pestilentius est, desit. Sed Iesu Christi charitas, vtriusque sectæ vicit insidias. Et in ecclesia eraimnum charitas omnia vincit. Fortè hic Simō euangelio non ad eò aduersarius extitit, quales etiā extiterunt hi, de quibus dicitur Lucæ 5. Sed neque hos neque illos auersabatur Iesus, Luc. 11. Sed vndique eorum in synceritatem acriter taxauit, illis optimum rependēs beneficium, Lucæ 11. Neque item publicanos aspernabatur, Matth. 9. Lucæ 15. quauis pharisæi id ægreferentes, Christum cœnopoten & phagum calumniarentur, Lucæ 7. Adeò verum est quod hoc loco dicitur, Iustificata est sapientia à filiis suis. Nō hic euangelici nostrates, creberrima incuntes conuiuia, vllum habent patrocinium. Qui adeò euangelici & illuminati esse volunt

neminem vocarent nisi pauperes, nec ad aliquem nisi ad pauperculum irent, conuiuia celebraturi. Christi causa se secus habuit, quia Christum huius seculi vanitas non contemnerat. Vbi Deus, ibi templum: vbi papa, ibi Roma. Vnde hoc prandium, ratione Christi, verum holocaustum, quia nihil hic nisi luculentissima charitas, praesens misericordiae Dei in iudicium. Totus mundus hoc conuiuium non solueret, quia peccatum non absoluit. Christus conuiuator, etiam extitit saluator. Nostra conuiuia peccaminosa, quia voluptuosa. Evangelici nostratres sunt ex numero eorum, quos iuuat aliena viuere quadra: homines dionysiaci, non euangelici, non soteres, sed veri phagi & cenopote. Horum odas psallunt, quorum panem comedunt. Nisi enim sic diuitibus adularentur, plerumque pane doloris vescerentur.

Et ecce mulier quae erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod Iesus accubuit in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti: & stans retro secus pedes eius, lacrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. *Marias peccatrix & eandem unctrices Christi, alij tres, alij unam fuisse dicunt.*

Controuersiam scholasticorum de varia opinione de hac Maria, sopire non possumus. Dubitant num plures fuerint: & an haec, de qua hic agitur, etiam ea sit, de qua Mat. 26. & Ioan. 12. legitur. Item an ea de qua hic dicitur, Marthae & Lazari soror fuerit, & Maria dicta sit, Lucae decimo. Ioan. 11. Item an ne hic Simon, leprosus vocitetur Matth. 26. Multum eam opinionem adiuuat, quod Marcus & Mattheus, quoque Bethaniensem eam affirmant. Vnde etiam sunt, qui Simonem eum patrem trium liberorum Bethaniensium affirmant. Theophylactus dicit, se magis accedere sententiae eorum, qui tres mulieres opinantur fuisse. Vnam, eam de qua agitur in euangelica lectione, quae legitur * sex dies ante festum paschae, Ioan. 12. Secundum, Mat. 26. Marc. 14. † duos ante pascha dies. Tertiam, eam de qua hic. Hac de controuersia plura vide in nostro Passionali. Communi consensui nos acquiescentes, ad historiam euangelicam veniamus. Quod mulier in presenti lectione peccatrix dicitur, etiam variè intelligitur. Sunt qui libidinosam & propositiosam scortatricem fuisse dicant, ad gloriam misericordiae Christi. Huiusmodi proprie vocantur in scriptura

*for * sex-to die.*
Peccator dupliciter accipitur in scriptura.

Zonoth siue *zōpva*, Gene. 38. Deute. 23. 3. Reg. 3. Raab an-
 talis fuerit, Iosue 6. Iaco. 1. Hebr. 11. dubitatur à patri-
 bus. Sunt etiam, qui negent Magdalenam nostratē, ta-
 lem fuisse. Ceterūm corde immundissimam extitisse eā,
 pomposam, superbam, gloriosam, choreis & spectacu-
 lis gaudentem, spectatum & vt spectaretur, omnibus cir-
 cis ingerentem se. Sic & aula apud Apostolum dicitur
 peccatum. Et publicani, tāquam peccatores, fuerunt sy-
 nagogæ inuisi: quanquam neque fornicarij, neque vsu-
 rarij, neque adulteri, neq; homicide, aut hoc genus pec-
 catis essent obnoxij. Sic peccatū etiam accipitur Esa. 1.
 Tob. 13. Quòd si de tali peccatrice hunc locum intelli-
 gas, discis etiam inquinare voluntatē, & aggrauare pec-
 catorum venialium molem. Discamus hic, maturē absi-
 stendum vitis. Certum est, eas quæ in peccato in senue-
 runt, etiam senes, quandò amatoribus sunt horrori, pec-
 cati adhuc consuetudine delectari. Si quid vetus scortū
 dolet, hoc saltem dolet, quòd ad furta minus appetitur.
 In talem dictum est hoc Horatij:

*Maturē
 peccatis ab-
 sistendum.*

Inuicem mœchos anus arrogantes
 Flebis, in solo leuis angiportu,
 Thracio bacchante magis sub inter-
 lunia vento:

Quum tibi flagrans amor & libido,
 Quæ solet matres furiare equarum,
 Sæuiet circa iecur hulcerosum

Non sine questu.

Tales plures celebrantur apud Martialem, dignę ater-
 na infamia. Pœnitendum ergo est citò.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Non hic presbyter, pharisæus, sacerdos, scriba, templū
 sacrificium, & alia hoc genus legalia conscientiam mu-
 lieris peccaticis delinire poterāt. Traxit eam ad se vir-
 tus agni Dei, qui etiam cum potestate loquebatur, non
 sicut pharisæi & scribæ. De isthoc Dei agno dicitur:
 Quoniam apud te est propiciatio. Tu remisisti iniqui-
 tatem peccati mei, &c. Ad hunc Dei agnum mulier pec-
 catrix hæc adeò festinauit, vt nō expectaret dum Chri-
 stus domum pharisæi, vbi se ingratus esse nouit, exiret.
 Christum, tacta spiritu sancto, propiciatorium verum
 agnouit.

agnouit. Insigne monumentum aduersus omne pharisaicum commentum. Vtique (ait Psalmista) holocaustis non delectaberis, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Iesus Nazarenus dicit, citius peccatores quàm pharisæos, gratiam Dei inuenturos, Matt. 21. Idem interminatur pharisæis aliis regni cælorum adiutum occludentibus, Matt. 23. Hæc proculdubio mulier peccatrix isthæc audiuit. Denique & hoc quod Christus ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Matt. 11. Murmuras pharisæe? inuides sorori? Non propter te intrauit mulier, non tuas dapes olfecit nec concupiuit: Nec Christus ipse tua fercula, sed peccatricis pœnitentis oscula expectauit. Venit mulier vocata & expectata, sed à Christo, tibi fastidita. Venit uerecunda, quemadmodum & hæmorrhoiisa illa apud Matthæum 9. & Cananæa, Mat. 15. Stat ad pedes Iesu à tergo flens. Ecce tibi hæretice. Flet peccatrix, atque adeo etiam tacens confitetur. Et quid hic requiris verba, cum Christus omnium norit corda? Et quid hic requiris verba à muliere illa, quæ cognita erat peccatrix omni turbæ? Notum delictum: lachrymæ testantur contritionem & confessionem, ipse coram vides eius satisfactionem. O salutarem aquam lachrymarum, aquam vitæ, aquam mortem æternam extinguentem, Matt. 26. Luc. 22. Tobia 3. 7. Iudith 13. Psal. 125. Esaïæ 38. Acto. 20. De hac aqua multa commemorat sanctus Ambrosius, & ea salutaria. Tergit capillis. Christo consecrat quod diaboli erat. Osculatur pedes, filium Dei in humana effigie adorans. Vnde & hic Christus gaudet osculari basis fidei, qui alibi non vult tangi & vngi per manus fide exortes. Pedes & vngit, indignam se agnoscens quæ sanctum caput lauet: similis mulieri, quæ fimbriam saltem tetigit vestimenti Christi, Matt. 9. Obseruet sacerdos, hic certos fructus exprimi pœnitentiæ. Literalis sensus declarat, bona opera non esse peccaminosa, & iræ Dei meritoria. Allegoria fructibus dignis pœnitentiæ inseruit. Facit huc oratio Manasses 2. Para. 36. Beatus pœnitens, qui cum muliere isthac nostra, pœnitentiæ locum (Esau negatum, Gen. 27. Heb. 12.) inuenit. Non possum mihi tēperare, quo minùs huc verba sancti Cypriani de Mag

Pœnitentiam malè tradit noui enāgeli ci fratres.

Pœnitentiæ digni fructus.

dalena nostra beata illa proferam, in sermone de ablu-
ped. Hoc, ait, in muliere peccatrice aliquando passus es,
nec dedignatus in mensa solenni, multis conuescenti-
bus, infamis personæ suscipere famulatum: cuius deuo-
tio vsa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, la-
chrymis pro baptismo: tetigit & lauit, & vnxit vnguen-
to. Mactata intrinsecus anima, proprium in sancta san-
guinem intulit: singula præbuere ministerium. Cor con-
tritum erupit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit.
Hæc multa in conspectu tuo Iesu congerens holocau-
sta, de fonte cordis fletus hausit quos protulit, de pœni-
tentix pyxide vnguenta quæ obtulit, caputque pro sup-
pedaneo strauit, crinibus circuncisis, pedes sacros in-
uoluit & terxit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi de-
uouit, & tu affectum potius quàm factum attendens, vn-
gebas vngentem, abluebas lauantem, tergebas intrinse-
cùs pœnitentem Hæc ille.

*Videns autem pharisæus, qui rocauerat eum, ait intra se, dicens:
Hic si esset propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ
tangit eum, quia peccatrix est.*

*Ex cantu proprio * quisquis disnoſcitur ales*

*Christus
propheta.*

Stultus (vt Esaias ait) stulta loquitur. Et pharisæi nihil
bonum possunt loqui, quod mali sint. Oculus prauus
nihil bonum videre potest. Similia vide Matt. 9. Luc. 15.
Discendum illis quid sit: Misericordiam volo, & non sa-
crificiû, Osee 5. Matt. 9. Si esset hic ppheta, sciret utiq;
quæ & qualis. Vtiq; propheta est, quia scit, quæ & qua-
lis illa sit, scit & quis & qualis tu sis hypocrita. Prophe-
ta est, quia nouit fratrum & sororum onera portare, Ga-
la. 6. compati infirmis, Heb. 4. Exempla habes Helisæi,
4. Reg. 4. Sunamitis prophetæ tenet pedes, Gihezi eam
amouere conatur, Propheta seruum arguit, dicens: Di-
mitte eam. Anima enim eius in amaritudine est. Vides
Iesum esse prophetam Simon? Tu verò, quoniam repræ-
hendis opus Dei, ex Deo non es. Leprosus Gihezi ha-
bendus. Habet caro Christi virtutem sanandi, lauandi,
tergendi &c. Mysterium hoc virtutis suæ sacrosanctæ
carnis Dominus Iesus hic nobis vult declarari, quem-
admodum & Matt. 8. & alibi vbi leproſos attrectat. Mû-
dis omnia mûda, multo magis fonti puritatis nihil spur-

cum. Vos dicitis, Immundum ne tetigeris. Quid hoc sibi velit, nos dicimus Dei gratia, 2. Cor. 6. vos verò didicistis, quia velum faciei vestri Moſis, corda veſtra occupat. Pœnitentes peccatores recipimus: obſtinatos immundos, è templo Dei abigimus & arcemus, 1. Cor. 5. Reciduiantes quoque execramur, tanquàm ſuem in volutabro, & canem vomitum reſorbentem, 2. Pet. 2. Evangelium eſt verum: Nolite condemnare, nolite iudicare: dimittite, date: Phariſaiſmus eſt, obuia quæque damnare. Quæ & qualis, quaſi dicat, in peccatis nata eſt * ſola, ſor. * tota. quale illud dictum eſt apud Ioan. ca. 9. Voluit agnellus Dei mitiſſimus mulierem peccatricem in ædibus curare Phariſæi, vt dum eam à ſpurcis nocturnis dæmonibus vindicat, ipſum hospitem à dæmonio liberaret meridiano. Monet eum, vt ſtans videat ne cadat, quum per ſe non ſtet. Monet eum, conſcientiã non in legis ſacrificiis externis, ſed in eorum ſignificatione expiari poſſe. Vndè & verbis ipſum corripit, vt ſequitur:

Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. Duo debitores erant cuidam feneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vndè redderent, donavit verſique. Quis ergò eum plus diligit? Agnellus mitiſſimus apud Eſaiam Chriſtus deſignatur, rex manuſctus & pauper apud Zachariam. Miſericordiæ Domini in æternum cantandæ. Diſcendum à Ieſu, quia mitis eſt & humilis corde. Eiã quàm comiter reſpondet phariſæo: eiã quàm curat clementer. Senſus eſt: Si tua cognoſceres peccata Simon, tu quoque faceres ſimilia. Creditori cuidam danitæ erant duo debitores. Hoc eſt, peccata non ſunt paria, peccata ſunt debita, quia pœnæ ſunt obnoxia, grauiori alia, minori alia, nulla tamen pœnarum immunia. Magna & capitalia apud Mattheũ notantur ſub nomine decem milliũ talentorum cap. 18. minora, centũ denariorũ. Sunt quæ præueniunt iudiciũ, vt eſt videre in Apoſtolo. Sunt etiã quæ neq; hic, neq; in futuro remittuntur ſeculo, Matt. 12. Adeò peccata paria nõ ſunt, & ſacerdoti cum primis neceſſaria eſt ſapientia ad diſcernendum inter lepram & lepram. Hæreſin item eſſe hic vides execrabilem, quæ tollit oris confeſſionem. Ita

*Peccata
non ſunt
paria.*

enim iudicium inter lepram & lepram tollitur, & peccatoribus peccandi licentia conceditur. Peccatum est, negligere, non strenuè Deo gratias agere, Dei laudem non semper habere in ore & perficere operè. Maius est, præuaricari & præcepta Dei transgredi. Creditor remittit vtrisque, diues in omnes, miserabilis super multitudine peccatorum. Huic quingentos, illi quinquaginta denarios remisit. Hæc est summa euangelij, nouum mustum, cuius capaces non sunt synagogici veteres vtres. Hic gratia pro gratia, & quodammodò hic gratia iusticiam vincit. Christus propiciatorium, propiciatio- que ipsa, Aduocatus & iudex, Agnus qui tollit peccata mundi *ἁποκατα* habet Græcus textus, hoc est, donauit. Rom. 18. idem habetur, vbi Apostolus dicit, Quomodò cum ipso donauit nobis omnia? Item Galat. 3. vbi dicit Dominum Abrahamæ hæreditatem donasse propter promissionem. De conditione peccati vide Col. 2. vbi dicit, *ἁποδιδωκε*, hoc est, condonat nobis omnia delicta. In baptismo remittit peccata, Acto. 2. 3. Post baptismum Luc. 17. & 2. Cor. 7. Dicis: Condonat peccata gratis, ita vt nihil penitus indè postulet, exigatque? Respondeo, Gratis omnimodò, sed lege interposita, ne talia denuò committamus, Ioan. 5. 8. Vult vt corrigamur, & ipsum redamemus. Sed hanc quæstionem alibi satis super que expè diuimus. Sequentia hic videamus:

Et respondens Simon, dixit: Aestimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittantur ei peccata multa, quoniam dilexit

Gratuita multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Rationi est peccato consentaneum est, plus oportere eum diligere, cui plus officij exhibetur. Vides responsonem in quæstionem, supra iam motam, Gratis ne peccata nobis dimittantur, sic, vt nihil vicissim ex nobis exigatur, &c. Gratis sanè peccata nobis remittuntur, sed vt tanti beneficij simus semper memores & grati, vt diligamus benefactorem,

vt & inter nos amemus, & mutuis nos beneficiis prosequamur. Valdè clarè Christus hic loquitur, mulieri huic peccata sua dimitti. Non solum verbis demonstratiuis in ipsam mulierem respicit, sed & ad eam se conuertit, in ipsam oculos quoque defigens: priuatæ nimirum absolutionis præsignatio non obscura. S. Ambrosius per duos debitores intelligit Iudæos & pharisæos, quoniam omnes peccauimus, & egemus gloria Dei. Theophylactus in pharisæum præsentem, & peccatricem Magdalenam pœnitentem dictum esse arbitratur. Nos in genere de quouis peccatore dictum putamus. Vides hanc mulierem? Intraui in ædes tuas &c. Sensus est: Quid iudicas? quid condemnas hanc mulierem, te longè religiosiorem? Officia hospitij iure œconomiz mihi non præstitisti, certo argumento, te ad eò non amare, in synccerè me vocasse in domum tuam. Ingrati hospitis sella post ianuam fertur posita. Quid hæc faceret, si domi suæ me excepisset hospitem, cum talia hospitalitatis officia exequitur in domo aliena? Sed heus tu bone vir, vide quàm peruersè iudices. Duodecim sunt horæ diei, & totidem noctis. fieri potest, vt in horæ cuiusuis momento, qui peccat, respiscat. Vndè prophetarum vox est: Quocunque momento vel hora peccator respuerit, &c. Mulier itaque isthæc, talis iam non est qualis ante fuit: nec decet, vt dimissæ illi peccata exprobres. Sic enim peccata donat pater, vt nunquàm in æternum eorum recordari velit. *Bez id kasho aser assa, ijheie*, hoc est, In iustitia sua, quam fecit, viuet, Ezech. 18. O maximam Dei clementiam. Peccatorum obliuiscitur, & non iustitiarum: illa non exprobrat, has magnificat. Hic potissimum obseruandum, Christum singula, quæ sibi Maria contulit, officia recensere. At quare hoc? quia placent illi tali opera, Acto. 10, Ionæ 3. Pharisæi & hæretici dissimulant, silentio prætereunt hæc obsequia mulieris, à Christo tantoperè probata: sed prædicat ea Christo deuota ecclesia: hoc autem facit, vt omnes ad huiusmodi prouocet pietatis exempla. Claudite aures charissimi illis, qui huic diuersam adferunt doctrinam, commendatione fidei bonis detrahentes operibus. Fugite anguem latentem in herba, charissimi. Nemo fidelium, nemo electo-

Opera bona fructus pœnitentiæ placet Deo.

rum Dei, sibi persuaderi sinat, hominem fidelem in Dei dilectione & timore benè operando delinquere, & Dei iram promereri. Minatur Deus saltem iis qui malè faciunt. Audiatur iudex, audiatur veritas. Dimittuntur illi multa, quia dilexit multùm. Vt autem dilexit? Nónne re ipsa? Vtique, Neque enim verus amor in verbis, sed in effectu & affectu consistit. Diligamus, inquit Ioannes, veritate & opere. Affectum Mariæ attende. venit non vocata, quia Christo confidit, quia Christo omnia quæ Dei sunt, tribuit: regnum mundi & omnem ornatum eius, amore Iesu contempsit. Quæ placuerunt, omnia viderunt. placet iam, quod mundus abhorret, humilis & abiecta pœnitentia. Effectum fletus, lachrymæ, pedum Christi lotio, capilli in spongiæ vsu conuersi, vnguentum, pedum Christi osculatio, & hoc genus reliqua, satis arguunt. Attende, charitatem esse rem viuam & operosam. Dilexit, ait, multum: vtique etiam credidit, sperauit, fecit. Possum hunc locum pluribus declarare: sed piis hoc satis est persuasum, hæretici temunt. Ad hoc igitur, quod superius interrogauimus, redeamus. Nónne gratis peccata dimittuntur? Maximè. Nunquid aliquid exigitur? Nihil. Sequitur verò, æquum esse vt amantem redamemus. Danti, condonanti, assèrenti, contegenti semper grati simus. Nam & hoc non est nostrum, sed Dei. Vndè ait Ambrosius: Ama plurimum, vt dimittatur plurimum. Item, Reddamus amorem debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis precio.

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbabant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluauit fecit: Vade in pace. Absolutionem hic attendamus, qui cõ-
 tritionem & confessionem audiuius. Potestatem eam Dominus postea suis quoq; concessit discipulis. Primò, Petro tâquam optimari, ratione vnitatis: deinde & aliis omnibus Petri collegis, ratione vniuersitatis, quæ vnum corpus efficit, Mat. 16. 18. Ica. 20. Absoluere verò nihil aliud est, nisi liberum denunciare, Matt. 9. Murmurant hic pharisæi & hæretici, dicentes: Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Pollicem, quantum volunt, verant: impiis certè Christus peccata se remittere affirmat,

*Peccata
 remittuntur
 in terra.*

Abnuat & resistat tantæ gratiæ, qui alium peccati remissorem nouit: nos illi acquieuerimus, quem nobis pater cælestis ab æterno prædestinauit. Illum omnia sacrificia legalia præsignant, non pecudis foetum, sed Dei agnum, de quo cantat ecclesia:

E sursum agnus mittitur

Laxare gratis debitum.

Testimonia scripturæ vides Ezech. 35. Mat. 26. Ioan. 1. Ephe. 2. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 2. Heb. 1. Apoc. 1. Formam absolutionis audiamus. Ait: Remittuntur tibi peccata tua: Fides tua te saluam fecit. Sic & alibi dicit: Confide fili. Iterum obserua, Charitatem etiam fidem æque atque virtutum officia complecti. Quam supra à charitate commendauit, nunc à fide facit spectabilem. Q. d. In me sperasti, mihi credidisti, me amasti. Verbum hoc fidei, Domino Iesu fuit valdè peculiare, quotiescunque aliquos aut à corporis, aut à spiritus aduersitatibus liberauit, Mat. 9. Mar. 5. 10. Luc. 8. 18. Et scitum est hoc Poetæ catholici:

Crede. Fides est grata Deo, quia credidit vltro

Seminis & nostri princeps Abrahamus & author.

Vade in pace. Nemo erit posthac, qui te condemnabit, nemo te infamem & execrabilem aspernabitur: remissa enim est culpa, crimen & impietas peccati tui. Pax peccatoribus non est, sed pœnitentibus, hoc est, peccati punitoribus. Vade ergo, & nè pecces amplius, Ioan. 8. nè tibi quid deterius contingat, Ioan. 5. Luc. 11. Alludit hoc Bernardi: Recidere, quam incidere, deterius est. Hoc vtinam attendant aulicæ saltatrices pomposæ, atque adeo bis meretrices, capillos, oculos, basia, vnguenta, & quidquid sunt, possunt & habent, in huius mundi gloriam conuertentes, nec vnquam *respicientes. *Respicite, reuertimini Sunamites, qui estis iam occasio tot periculorum, quibus totus orbis concutitur. Respiscite, reuertimini per apertam & certam, synceram & veram pœnitentiam, vt per vos discant pœnitere, qui per vos irretiti, perreuerunt Deum suis peccatis ad iracundiam prouocare. Ipsum hoc sancta Magdalena Dominum Iesum nobis poscat, cuius amore huius seculi vana omnia reliquit: quem hic assertorem & consolatorem habuit, quem nunc victrix habet coronatorem & coronam, eidem

*Aulicæ
saltatrices
& pœnitentes.*

cum patre & spiritu sancto sit laus & gloria per omnia
seculorum secula, Amen.

DE S. MARIA MAGDALENA,

Luc. 7.

Rogabat illum quidam de Phariseis, &c.

- 1 *Bona opera sunt necessaria ad dignos fructus pœnitentiæ.*
- 2 *Pœnitentiæ vera arguit charitatem Dei, & proximi, ac per hoc fidem.*
- 3 *Fides quæ per charitatem operatur, à Christo commendatur.*

¶ D E C L A R A T I O.

1 *Attulit alabastrum unguenti, &c. Mulier peccatrici venit
vltro, non vocata: adportat unguentum, stat retro, lacrymis rigat,
capillis terget, osculatur, ungit. Bonum operatur in Christo opus.
Cereemoniarum ergo nemo renicere poterit decus. David dilexit de-
corem domus Dei. Hester 14. deposuit vestes regias. pro unguentis
variis, &c. Iudith 9. induit cilicium, &c. Disciplina vtilis sunt.
Niniuite non vani putandi. Sic & impius rex delinuit iracun-
diam Dei. Quod Apostolus dicit, Corporalis exercitatio ad pa-
rum vtilis est, intelligendum de collatione disciplinarum & chari-
tatis. Nos charitatem à pœnitentiæ operibus non excludimus, im-
mo præcipuè exigimus. Oratio & ieiunium sine elemosyna parum
vtilitatis habent, secundum Apostolum. Elemosyna vero ius-
ta, plurimum profunt.*

2 *Simon, habeo tibi aliquid dicere, &c. Fidei argumentum sunt
bona opera: pœnitentiæ veræ indicium sunt, Oratio, Ieiunium, &
Elemosyna. Symbolon item sunt charitatis Dei & proximi.
Qui offendit Deum peccando, punit in se peccatum, seipsum omni-
genis disciplinis castigando. Qui diligit proximum, offensam pro-
ximæ placat, proximum sibi conciliat. Qui furabatur, non furetur
amplius, sed laboret, &c. Zachæus dimidium bonorum suorum
dedit pauperibus, &c. Vnde eius charitas arguitur, Phariseus cha-
ritatis expers.*

3 *Vides hanc mulierem? &c. Peccator pœnitentiæ dignam fa-
ciens, præfertur iusto tepido. Maius gaudium super vno peccatore
pœnitentiæ agente, quam super, &c. Luc. 3. Facite fructus dignos,
&c. Quantitati & qualitati culpæ pœna debet respondere, 4. di-
stin. 16. ca. 1. Omnes catholici cum Græci tum Latini dicunt, non
sufficere mores in melius mutare, nisi etiam oratione, ieiunio & e-
lemosyna pœnitentiæ agamus. Ambrosius: secundum peccato-
rum molem, exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentiæ*

enim non verbis agenda, sed factis. Pœnitentia opere implenda. De pœnitentia dist. 3. In salicibus. Pœnitentia in austeritate. De pœnitentia dist. 5. Psal. 93. Qui fingit laborem in precepto Psal. 79. Potabit nos lachrymis in mensura. Psal. 79. Calix in manu Domini, vino plenus misto. Apoc. 2. Age pœnitentiam, & priora fac opera. Attende hic commendari fructus pœnitentiæ, opera fidei. Hæretici laudantes solam fidem, laudant mendacium. Aequant diuites sua reseruantes & luxuriantes, Matthæo, Zachæo, & aliis sua dantibus: immo etiam furtam tuda equant largitatè Mariæ frangentis alabastrum. Rumpantur vt illa hæretici, prædicatur opus bonum Mariæ Mat. 26. Marc. 14. & hic Christus opera Mariæ prædicat ipse.

De sancto Iacobo Apostolo, Epistola, Ephe. 2. Postillam quære superius in natali S. Thomæ Apostoli.

IN DIE SANCTO SANCTI APOSTOLI IACOBI ZEBEDÆI, Euangelium, Matth. 20.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo, &c.

P R A E F A T I O.

Gloriæ studiosiores sumus hodiè omnes, qui aliis honestate præstamus, sed non gloriæ Dei, quæ crucis est. Mundi huius gloriæ, quæ cruci Christi planè est aduersa, atque adeo vana, sumus auidi. Fundamentum præcipuum, quod habet gloria mûdi, est Mammon deus huius seculi. Opes amicos habent, paupere iacente contempto. Diues clarus, iustus, fortis, sapiens & virtuosus habetur: etiam si sit in fornice natus, & è gabalo trifur lapsus. Dites assident regibus, prædandi & latrocinandi periti, dum interim furcis vulgus latronum crurifragio plexus suspenditur. Summa: Plutoni seruiens, planè est impeccabilis: inops, quicquid facit, præuaricatur. Supernacaneum fuerit huc scripturam adducere, cum Germanica tot prouerbia, quæ passim in omnibus tonstrinis & pistrinis hodiè celebrantur, hoc ipsum quod iam dixi, affirmant. Liquescit igitur, gloriam huius mundi esse vanam, cuius præcipuum fundamentum ipsissima est vanitas Non absurdè vocatur à nostratibus cenodoxia, Gal. 6. Fructus huius facinoris nullus alius est, nisi iurgia &

*Gloria
dei & glo
ria huius
mundi cõ
trarie.*

rixæ, Philip. 2. Christus hoc vitium maximè in pharisæis
taxauit, Ioan. 5. 12. Matth. 23. De hoc vitio audiatur ho-
dierna sancti euangelij lectio:

Humana infirmitas *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, ad-
rans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Matris ob-
seruanda hic temeritas, magis vero Christi benignitas.*
Temerarium aliquid machinabatur mater, sed ad hoc
facinus (quod Marc. 10. apparet) à filiis illecta. Sic habet
Marcus: Accesserunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Ze-
bedæi, dicentes: Præceptor, volumus vt quidquid pete-
rimus, facias nobis. Hieronymus & Theophylactus ex
hoc loco acceperunt coniecturam, matrem hic à filiis ad
rogandum Dominum esse instinctam. Quod Zebedæi
mentio non fit, ratio forte est, quod è viuis excesserit:
aut mater Christo sanguine iuncta, iure necessitudinis,
quæ illi cum Iesu intercesserat, se exorare facile spera-
bat. Nomen mulieris erat Salomæ, quæ postea cum alijs
Marijs venit vngere Christum sepultum Matt. 27. Mar.
15. Huic Salomæ sua oratio sibi sancta videbatur, iuxta
hoc quod vulgo dicitur: Tu tibi proximus esto. Qui sua
negligit, aut insanus, aut nequam creditur. Adde quod &
regius sanguis erat, è Dauidis nimirum stirpe. Nihil arca-
no rogat ore, quia se licita rogare putat. Summa oratio-
nis est: det vitam, det opes, det gloriam: æquum mihi ani-
mum parabo. Oratio, quam etiam ethnicus ille rideret.
*Christi be-
nignitas.* Christi iam spectanda benignitas. Accessit mulier, à filiis
adornata atque iritata. Præsto matri sunt pignora, ado-
rat, hoc est, tanquam aliquid arduum rogans, humi pro-
cumbens, Domino supplicat, petens vt Christus exora-
bilem se illi præbere dignetur. Non latuit Christum ma-
tris & filiorum machinamentum, nec tamen protinus
execratur commentum & intétum, sed suo more, (quem
vides Lu. 8. Ioan. 11.) rogat. Rogat autem, vt patens vul-
nus præsentius curet, & simul suam mansuetudinem, quæ
etiam nostra infirma ferre sustinet, declaret. Matris hic
proprium nomen non exprimitur. Neque filij matris no-
mine, sed patris appellantur, filij *Zebdi* siue Zebedæi, pro-
pterea quod vir caput est mulieris, 1. Cor. 11. *Zebdi* pisca-
tor fuit, cuius duos filios Christus ad piscandum homi-
nes vocauit. Matt. 4. Marc. 1. Differentiæ causâ hic Iaco-

bus semper filius Zebedæi appellatur, alter vero frater Domini, quanquã etiam hic filius Alphæi vocatur Matt. 10. Luc. 6.

Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexterã tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Matthæus matrem sic inducit, tanquam interpretem filiorum. Marcus filios ipsos rogantes describit. Apparet utrûque factum, sed culpam magis tribuit filiis quam matri, Christus: quod ex sequentibus fiet euidens, vbi non soli matri, sed & filiis dicit: Nescitis quid petatis. Occasio orationis, carnalis de Messia opinio. Iudei etiamnum Messiam assertorem temporalem expectant, qui Syriam illis restituet habitandam, quiq̃ue ibi regnet solus Dominus, cæterisque regibus totius mundi dominetur. Vxores illi plures (nè quid vanitati & impietati miserorum desit) tribuunt: Insignem vero forma & lasciuia siue regali pompa vxorem eius, dicunt fore Iudæam genere, & *Bethem ophir*, hoc est, corona auri probatissimi coronatam, illi assidere. Apostolos talem adhuc de Messia opinionem habuisse vides Act. 1. Mouit potissimum apostolos ad orationem eam, quod audierunt Christum differentem de sua gloria, ea quæ mortem & resurrectionem erat secutura. Orant ergo summam aulæ primatum, qualem Ioseph habuit in Aegypto, Gene. 41. Daniel in Chaldaea, Dan. 5. Mardocheus apud Assuerum, Hester 8. Hieronymus: Mulier, ait, auiditate scæminea præsentia cupit, immemor futurorum. Sequitur: Postulat errore muliebri, & pietatis (puta maternæ) affectu. Sed succurrere illis debuit, quod Christus dedignatus est regum splendorem & pompam, Ioã. 6. Vndè & ait apud Ioannem 19. Regnum meum non est de hoc mundo. Qui venit ministrare, sui regni disciplinam ipse declarans, primo incipit à paupertate, dicens: Beati pauperes spiritu. Tandem concludit summam sui regni decretorum, dicens: Beati estis cum persecutionem in hoc mundo forti animo pertuleritis. Ad eo Christi regno, quod in paupertate incipit, in cruce & contumeliis consummatur, nihil cum huius mundi pompa.

Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Hebraicè sic: *Loie daathem ma thisealm.* Vehementem grauitatem in

Carnalis
sensus car
nalis ora
tio.

*Oratio si
dei sacra-
menta ha-
bet pluri-
ma.*

huiusmodi verbis Christi videmus, præsertim Lu. 9. vbi ait: Nescitis cuius spiritus filij sitis. Nescitis quid adoretis, Ioan. 4. Vos nescitis quia verax est qui me misit, Io. 7. Erratis, & nescitis virtutem scripturarum, Marc. 12. Habet oratio fidelium multas promissiones, atque adeo magnum sacramentum: sed quæ ritè fit. Importuna oratione nihil execrabilius. Turpissimus poetarum ethnicorum, taxat orationem quæ fit ore arcano, hoc est, stulta & vana petentem. Ethnici item norunt orandum parçè, vt Deus conseruet quæ mediocriter homines possident. Vnde idem ait:

Appetit esse sui, non magni, vult amator.

Et alius:

Qua ratione queas traducere leniter eum.

Idem ait:

Orandum, vt sit meus sana in corpore sano.

Expressius hoc noster Boeghnius monet, dicens:

Da pater Augustam mentis conscendere sedem,

Da fontem lustrare boni; da luce reperta,

In te conspicuos animi desigero visus, &c.

Ab huius orationis sinceritate commédatur Salomon, & compos voti factus declaratur, 3. Reg. 3. 2. Para. 1. vbi ait: *Leb hacham ve nahon*, hoc est, cor docile. Oratio commendabilis, quæ orat spiritum sanctum, Luc. 11. Spiritus sancti nobis gratiam poscere. Fructus spiritus, Galat. 5. dona spiritus sancti, Esa. 11. 1. Corin. 12. 14. Doctrinam sanam, Matth. 9. Pacem & concordiam, Mat. 16. 1. Tim. 3. Vt magistratus ab omnibus vanitatibus mundi purus, honestati studeat liberius, 1. Timot. 2. Vt liberemur ab omni malo, & in tentationem ne intremus, Matt. 6. Luc. 11. Matthæi 26. Huc faciunt psalmi Dauidici, hymni sanctorum patrum. Huiusmodi præscriptis nobis opus esse, Apostolus testatur, Roman. 8. vbi dicit, nescire nos quid postulemus *καθ' ὅσον*, hoc est, vt oportet. Nostræ ruditatis & ignauix non ignorans Christus, succinctam formam præcandi docuit: vtinam eam probè teneamus.

*Esse ex
præscripto
orandum.*

*Cruce est
iter ad glo-
riam.*

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ac si dicat: Miror vos talia meditari, quæ mihi & meo regno planè sunt aduersa. Vos gloriam huius seculi, pompâ, opes, voluptatem, & hoc genus vanissima petitis, audientes

mihi paratam crucem. Dominus ad supplicia vadit, & delicias querunt serui? Sed ita non est comparatum, vt regni filius per crucem in suam intret gloriam: & exteri serui, quibus nihil commune est in regno, eiusdem regni gloriam adsequantur voluptatibus & huius mundi nugis. Oportet pati, & sic intrare in gloriam Dei, Lucę 24. Si compatimur, & conglorificabimur, ait Apostolus. *συμβασιλεύσομεν*, hoc est, cum Christo regaliter domnari, 2. Timo. 2. Idem Apostolus etiam ait ad Rom. 8. Si tamen compatimur, vt conglorificemur. *συμπαρομομεν*, *συμβασιλεύσομεν*: compati, conregnare præeat, oportet. Stat regalis sententia: Humilitas præcedit gloriam. Inferiorem locum occupa, te ipsum humilia, & exaltaberis, Prouer. 15. Luc. 14. Obseruanda hic aptissima allegoria siue metaphora calicis & balnei, per quæ Christus passionem & ignominiam intelligi vult. Mundus hæc ad pompam & voluptatem refert: contra, Soter ea accipit in significatione diuersa: tanquam hic dicat. Abstine & patere: ille verò, Tibi viue, genio indulgens: violentus esto, quoslibet supprimens. Sic ex diametro sibi mūdus & Christus pugnant. Finis gloriæ mundi, perpetua infamia: finis infamiæ crucis Christi, vera gloria. Hoc est, illud mirabile iter, per quod diuina prædestinatio omnes iustos duxit. Cum Christo in hoc conuiuio crucis qui pergræcari & viuere recusat, ad mensam beatitudinis futuræ non pertingit. In hoc lauacro contumeliæ Christi qui se perluere cunctatur, sordibus huius sæculi prægrauatus, in Phlegethontis, Cocyti & Stygis fluenta præcipitabitur. Nec vacat mysterio, quòd Christus in æternum benedictus, crucem suam & eius cõtumeliam, calici & balneo, voluptatis symbolon habentibus, confert. Theophylactus dicit, hoc fieri propter tẽperamentum vocabulorum, per se alioqui carni iniucundorum. Quid cruci & cõtumeliæ æquẽ iniucundum dictu esse possit? Excrabilitatem & horrorem illũ ablaturus Dominus, vocabula ea terrificam, mira mitigat prouidentia, sic, vt ea incunda & optabilia reddat. Certum est, philosophum illum, qui olim sua eloquentia mortem, omnium naturæ horribilissimum, hominibus ita persuasit, vt multi sibi ipsi manus inferrent, tali & tanta loquẽdi

figura non esse vsum. Accedit huc, quòd Christus conuiuas & symbaptes plures sibi vocans, ipsum prius poculum hoc totum ebibit, & lauacrum tale totus subiit. Potens verbum, potens exemplum, potens sacramentum. Per mouit potentia ea primitiuâ ecclesiam, vt haud secus ad martyrium properarent catholici, quàm si ad conuiuium aut balneum essent ituri. Vnde ait Bernardus. Stat martyr tripudians & triumphans, toto licet lacurato corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter, sacrum è carne sua circumspicit ebulire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Hæc ille. Hac de re alibi fusiùs egimus, sanctum Ignatium & sanctum Laurentium exempli gratia citando. Nunc per ea ipsa, quæ alibi & hic adduxi, scripturæ & Ecclesiæ testimonia, infero: nò posse fieri, vt secundum mundi voluntatem, hic gaudeamus & illic, hic cælum habeamus & illic. Ioannes Baptista è carcere in cælum relatus, puella saltatrix ex aula in infernum detrusa. Huc faciunt loca Matthæi quinto. 10. 23. Ioan. 16. Acto. 13. Roma. 8. 1. Thessa. 2. 1. Petr. 2. 3. Denique & modus ille loquendi, quo tropicos calix & balneum crucem significat, in scriptura canonica infrequens non est, Matthæi 26. Lucæ 22. Ioannis 18. Et de baptismo Luc. duodecimo. Neque hoc silentio prætereundum puto, nos baptizari non in huius mundi voluptatem, sed fugam, atque adedò in ipsam perpetuam mortificationem carnis & omnium voluptatum. Adedò electis ad gloriam, incumbit crux in gloria.

Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Discipulorum & hic obseruanda temeritas, & magistri benignitas: & nisi adedò comis esset iudex, periret omnis caro. Possumus, dicunt, accepta cruce in humeris, te sequi, Matth. decimo. 1. Petr. 2. Possumus tecum pati, mori & sepeliri: hac in re nulla est aut mora, aut cunctatio, tu gloriæ nos modò confortes velis. Non absimilis pugil fuit Petrus, dicens: Etiam si oporteat me tibi commo-

ri, non te negabo, Matth. vicesimo sexto. Sed cum caperetur Dominus, tam fugit Petrus, quam Ioannes & Iacobus, vt oraculum de Christo compleatur, Zacha. 13. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Mitissimus pastor, ouium infirmitatem non ignorans, talem in suis humanissimè tulit infirmitatem. Eia quàm comiter curat? quis huius pastoris medelam fugiat? Nō arguit mendacij, nō insimulat insolentię, sed adfert medelam per oraculum diuinę prouidentię. Potestis, inquit, non quodd illi verè dixerint, se suo pte Marte posse, sed prædixit illis hoc ipsum concessum iri supernè. Simile vides illis prædici Matth. 10. Ioan. 16. Sic & dicit confessores & coniudices suos eos fore, Matth. 19. Veritatem rei vides Acto. 12. Nempe Iacobum capite plexum, Ioannem verò vitam sine cruce non transegisse vides Act. 4 vbi dicitur: Loquentibus Petro & Ioanne ad populum, superuenerunt sacerdotes & magistratus templi & Saducæi, indignabundi quodd docerent populum, & annunciarent in nomine Iesu resurrectionem ex mortuis, posueruntque eos in custodiam in posterum diem. Altera verò die accersitis illis, cōminabantur illis, nō videntes quare eos occiderent, cap. 5. Coniecti sunt in carcerem, sed Dominus eos liberos in templū statuit. Venerunt itaque custodes, principibus annunciantes, & dicētes: Ecce carcerē clausum inuenimus, custodēsque diligenter custodiētes, neminem verò intus reperimus. Et ecce alij nuncij venerūt, dicētes eos in tēplo stare & docere populum. Aduocantur iterum, & nisi in Gamalieleis consilium pedibus itum esset, statim malè acceptos tradidissent morti. percutiunt tamen, & cæsis præcipitur, ne in nomine Iesu loquerentur. Hæc fuit alea Apostolorum, hic calix, hoc lauacrum. Ioannes itaque citra capitis pœnam factus est martyr, tot minas exantlâdo. Tertullianus & alij primitiuę ecclesię scriptores, cōmemorant, eum Romę in vas plenum feruētis olei esse coniectū: sed quia ibi diuina potentia illum conseruaret illæsum, in Patmos relegatum in insulam. Qua de re suprâ dictum est in eius festiuitate. Sic Dominus hic nihil diuersum dicit ab eo, quod est apud Ioannem cap. 21. Sic eum volo manere, &c. Procellæ tribulationum multæ,

*Posse non-
strum ex-
Deo.*

vnam mortem æquant. Præstat enim semel mori, quàm diu torqueri, & multis persecutionibus reuerfari. Iacobum capite plexum vides Act. 12. Completum est verbum veritatis. Calicem siquidem Domini biberunt, cum Domino ad opiparum hoc conuiuium iuerunt, & eodem cum Christo lauacro sunt loti: lauacro vernali, & supra omnem captum humanum deletabili. Sed nostrum hodie seculum, tales delicias cuius conuiuium & balneo alij posthabet. Gloria crucis Christi, planè hodie est extincta, omnium hodie oratio est, Da vt opulenti potentesque sedeamus, alter ad dexteram tuam, alter ad tuam sinistram: calicem verò tuum, tute tibi reseruato: nos interim zythum & merax merum bibemus, combibemusque. Timendum est, vt propediem superbi de sedibus deturbentur, calice iræ Dei prophético potati. Hieronymus calicem Iohannis vocat calicem confessionis. Similis huic est ille, quo Dominus potauit Sidrac, Misac & Abdenago. Quantum ad Salomæ orationem attinet, videmus exauditam matrem Zebedeorum. Petrum siquidem, Iohannem & Iacobum, Christus præ cæteris sibi familiares esse voluit. Carnaliter verò nõ exaudiuit, quia hoc illis nõ expediuit: potiora illis Dominus preuidit, potum illi negauerunt aquæ vapide, Dominus verò fluentia illis tribuit nectaris ætheri, balneum illi petierant aque mortuæ, Dominus mare illis contulit aque viuæ, aquæ paradisiacæ iucunditatis, aquæ angelici nitoris conferendi virtutem habentis.

Christi pietas erga suos contribules. Sedere ad dexteram, non est meum dare vobis, ad humanitatem Christi referendum. Obserua in hoc euangelico loco Christi humanitatem, qua suos agnoscit contribulos. Cui non arrideat ille fauor & pietas Christi erga suos contribules, qui eos ad apostolatus dignitatem adsciuit omnes? Vnus in septuagintaduorum discipulorum numero permansit Ioseph, cognomine iustus, Actorum primo. Iuxta humanitatem hic quoque dicit, Non est meum. Sed & hoc obserua quod dicit, quibus paratum est à patre meo. Vides eundem Christum filium Mariæ virginis, prolem quoque esse Dei omnipotentis. Præclare hic dicitur ab Hieronymo, Regnum celorum non esse dantis, sed accipientis: non personæ, sed vitæ paratum.

paratum esse. Opera, ait Ioannes, eorum sequuntur illos. Qui benè fecerunt, ibunt in viam æternam. Hoc fac, & viues. Sensus est: Non carnis prærogatiua, aut per sonæ respectus hic habet locum, sed gratiæ supernæ v-
sus & virtutum meritum. Pater nō patitur sibi aliquem sedere dexterum, nisi solūm filium, Psalm. 109. Hebr. 1. Qui verò mihi ministrauerint, & eos honorificabit pater, & eosdem mecum esse patietur, &c. Ioan. 12. 15. 16. Superest ergò vt legitimè militetis: quia nemo coronabitur, nisi palmam abstulerit hosti. Summa, Crux mea est gloriosa, dicit Dominus. Gaudete qui mihi hic compatimini, quia merces vestra multa est in cælo, Matt. 5. Qui alios de se fecere memores merendo, audient verbum: Venite benedicti patris mei, percipite regnum Matt. 25. Exposuit agnotheta præmium, immò præmia: quia neminem ritè militantem, suo defraudatum vult honore. Superest ergò vt sic agamus milites, vt tanta dona, quorum precium nemo vnquam satis mente concepit, consequamur. Hoc ipsum nobis annuat pater Domini nostri Iesu Christi, cui vnà cum filio suo Domino nostro, & spiritui sancto sit par laus & gloria, per æterna secula, Amen.

DE S. IACOBO ZEBEDAEI,

Matt. 20.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebe. &c

Sectio literalis protreptica.

- 1 Per crucem itur ad gloriam.
- 2 Sed hoc per liberum arbitrium,
- 3 Conformans se prædestinationi.

¶ DECLARATIO.

1 *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi &c. Christus saluator in hunc mundum venit non solūm documento, sed & exemplo. Exemplum saluificum. Non adscinit sibi potentes & claros, sed piscatores, ipse quoque fugitans gloria huius seculi. Gloria mundi & gloria Dei sibi pugnant: qui alteri se addicit, alteri excidit. Ioan. 5. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem queritis? Contrà de se ait ibidem: Gloriã ab hominibus non accipio &c. Vide Ioan. 7. 8. 12. &c. Huc facit quod rogat: Potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum? Calicem confusio nis, passionis, &c. de quo Matt. 26. Mar. 10. 14. Luc. 22. Ioan.*

18. Potestis, ait Glos Ord. rogat, vt ipso interrogante, & discipulis respondentibus, omnes clarè audiamus, quòd nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem eius sit imitatus. *Litera Pythagora, somnium Herculis, huc quadrant.*

2. Possimus. Simplex confessio ex animo. Nulla simulatio hic. Norunt esse cardiognosten. Exitus arguit, ex animo esse loquutos, secundùm Glos. Ord. quia alter ab Herode truncatur, alter in feruentis olei dolium missus fuit. *Augustinus de agone Christiano cap. 10. Deus hominem inextermabilem facit, & ei liberum arbitrium voluntatis dedit. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, & non voluntate, seruiret. Idem libro de q. 83. quæst. 2. Melior homo est, qui voluntate quàm qui necessitate bonus est. Anselmus in lib. Cur. quomodo, quãdo homo, cap. 2. Rationabili et rationale animal in sua dimittitur libertate, vt ad suã libertatis meritum, vel viueret feliciter, vel moreretur infelicitèr. Deut. 32. Dei perfecta sunt opera. Angelus bonus peccare non potest, malus benefacere nequit: homini vel bonum vel malum facere, integrum est. Esa. 1. Si volueritis. 1. Cor. 9. Si volens.*

3. Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam & c. Corruptum per Eue lapsum. *Augustinus lib. de eccle. dog. cap. 21. de spiritu & anima cap. 48. de fide ad Petri Diac. cap. 3. Gen. 8. Sensus & cogitatio humani cordis. Errat Pelagius. Augustinus in expositione epistole ad Rom. expos. 18. Gratia efficit, vt non tantùm velimus recta facere, sed etiam possimus, non arbitrij viribus. Rogas, ad quid ergò liberum arbitrium? Respondet Glos. Libero arbitrio homo fit aptus, vt Deus per suam gratiam operetur in homine suam gloriam. Datur, non nascitur, neque acquiritur. Hiere. 31. Dabo legem meam, Ezech. 11. Dabo eis cor. Malach. Dedi eis timorem. Quibus paratum est à patre Hieronymus: Non est acceptio personarum apud Deum, sed quicumque talem se præbuerit, vt regno celorum dignus fiat. Vide 23. quæst. 4. Obtinari, verba Gregorij: Omnia gratia Dei adscribenda, etiam opus præparatorium: ad eò sine ipso nihil possumus, & per ipsum omnia.*

IN NATALI SANCTAE ANNAE,

Auiæ nostri Seruatoris, epistolaris lectio

Prouerb. 31.

Mulierem fortem quis inueniat? Procul & de vltimis finibus precium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis nõ indigebit, & c.

PRAEFATIO.

Regij prophetae lectio, mysticè vt intelligatur oportet. Hic locum habet, *litera occidit, spiritus autem viuificat*. Si *literam solam spectes*, perit verbum Christi, docentis: Nihil solliciti esse &c. Nihil boni est in carne. Mundus totus in malo est. Christus se vulgo non credidit, sciens quid in homine esset. Cæco offendiculum non est ponendum. Salomon in *Cobeleth*, hoc est, Ecclesiaste, ostendit mundum statim arripere errandi ansam in scripturæ sacre *litera*, ritè iuxta spiritum non intellectæ. Nos scimus quòd liber ille, cui Salomon nomen indidit *Misse*, hoc est, parabolæ siue gnomæ, Latine proueria, parabolicus sit, habens titulum cum re. Possunt quidem pleræque sententiæ secundum *literam* intelligi, atqui plurimæ mysticæ sunt. Hic præcipuè locus arcani est sensus. Salomon hic, quemadmodum & supra cap. 30. titulum variat. Caput 30. nuncupauit Agur filio *Iake*, habeturque caput hoc *Massa*, hoc est, oraculum. Præsens caput 31. inscribitur *Lamuel*. Itidem & caput hoc *Massa* vocatur. Rabini plerique nostrates dicunt, hic Salomonem & esse Agur & Lamuel: vndè etiã volunt, hæc duo capita, in simili cõ præcedentibus precio haberi. Salomonem aiunt, etiam hæc duo nomina habuisse tunc, cum Deus cum eo (quod Lamuel significat) fuit: & tunc quando collegit & corrasit (quod *Agur* significat) omnia quæ ad sapientiam facere poterant. Vocat quoque seipsum *kobeleth* siue ecclesiasten. Vocatur item *Iedidia*, propterea quòd dilectus erat Deo puer sapientiæ studiosus, 2. Reg. 12. Placet ratiocinatio, nisi plures hic sint compilatores, quemadmodum etiam in psalterio soliloquiorum Davidis *Thehillim*, hoc est, psalterio. Psalterium vnum est, & Davidi adscribuntur etiam aliorum psalmi, quia eiusdem omnes sunt auctoritatis. Nemo ergò auctoritatem huic lectioni abrogauerit qui mediocriter catholicus existat.

Mulierem fortem quis inueniet? procul est de vltimis finibus *Aleph*. *precium eius*. Sapiens, sedulæ & eius honestæ matronæ ingenium describit viginti duobus versibus, iuxta numerum *literarum* Hebraicarum. In hac descriptione arte ea est vsus, vt singuli versus suis *literis* incipiant.

*Litera
quæ occi-
dat.*

*Prouerb.
Liber para-
bolicus est.*

*Salomon
nomina
habuit
multa.*

Primus puta aleph, secundus Beth, tertius Gimel, & sic deinceps vsque ad Thau. Simili artificio David quoque antea conscripsit Psalm. 14. & 144. Simili item ratione edidit octonarium, qui est psalmus prolixus ille, numero centesimus decimus octauus. Hieremias vtrunque regem, patrem nimirum & filium, est imitatus in Threnorum libro. Sed ad ipsam nunc tandem veniamus lectionem: Mulierem fortem, hic non matronam saltem honestam & sedulam intellige, sed allegoricè, mulier fortis hic significat ecclesiam catholicam, omnium nostrum matrem, qua nihil est & decentius & fortius, Mysterium verò sic non accipias, vt literali sensui deroges: sed litera rectè accepta, typum facit illustriorem. Varium & mutabile semper femina. Fallit quæ casta putatur. Ociose, garrulæ & lasciuæ, quid non mali designent, cum ocia aliàs etiã in fortissimos quoscunque viros nullis non aggrauarint flagitiis? Rectè ergò, Matronæ præcipua commendatio est in fortitudine, puta animi & corporali operum exercitatione. Quæ suis non prospicit, infideli est infidelior. Nec recipienda in religionis arctioris professionem, quæ non habet sedulitatis officiosè testimonium præclarum. Nihil est quod auari & voluptuosi hic suæ incredulitati & perfidiæ patrocina quærant. Sedulitatem probat scriptura, non sollicitudinem, non voluptatem. Contra diuitiarum cupiditatem vide Matt. 19. Luc. 16. Mar. 10. 1. Tim. 6. Contra luxuriam & mollitiem ornatus, vide 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Diuus Gregorius huius libri atque huius loci autoritate ritè vtitur, dicens: Memini quòd de ecclesia vniuersali dictum est, Panem ociosa non comedit. Opera item bona probat ecclesia, non vana, lauare sanctorum pedes, eleemosynæ incumbere, ieiunare, orare, &c. Dordadem, non lupam, celebrat ecclesia. Arcta via est regni cælorum, sedulitatem requirit & prudentiam, Matt. 7. Constantia & patientia fideli est opus. Qui enim perseuerarint in finem, saluabuntur. Indigni sunt regno cælorum, mittentes manum suam ad aratrum, & respicientes. Mater itaque ecclesia, cuius instar vides Act. 1. 2. 3. &c. fortis est cum animo tum corpore: hoc est, constans est & officiosa. Filios parit & fouet, baptisate &

*Fortitudo
matronæ
præcipua
est virtus.*

*Ecclesia
est mulier
fortis.*

verbi prædicatione, Ioan. 3. Ociosa non est, quippe quæ acediam inter capitalia referat vitia. Terribilis denique est contra quoslibet hostes tanquam acies ordinata. Contra hostes, inquam, visibiles & inuisibiles fortis est & efficax, Hebr. 11. Quantum ad literam, verum est quod hic dicitur, Procül & de vltimis finibus precium eius. Res siquidem bona, mulier fortis, dabitur viro Deum timenti. Talem mulierem inuenire, est thesaurum ingen-
 tem inuenire, Prouer. 18. Corona siquidem est viri, cap. 12. Donum est Dei, cap. 19. Contra ociosa, mollis, lasciuia, morte est amarulentior, Eccle. 7. Sapiens quantum fortem prædicat, tantum traducit dissolutam & vanam. Impietas vndeuis sibi patrocina quærens, etiam hoc loco sanctam famem auri & luxuriam adstruere conatur. Sed meminisse debent infelices, parabolas scripturæ nõ aliò quàm dicta sunt, posse torqueri. Laudatur villicus iniquus, sed vt amicos nobis pauperes de bonis nostris conciliemus, non vt malam fraudem discamus. Contra amoré nummi vide Matt. 19. Marc. 10. 1. Tim. 6. Contra vestitus preciosioris vanitatē vide 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Esa. 5. &c. Dictio qua hic laudat mulierē, dicitur Hebraicè *hail*, quod fortis reddi potest. Accipitur etiam de viris ad bellum aptis, *Anse hail*. Item *Bene hail*. Item *Gibore hail*, hoc est, fortes vel boni milites. Sed hic non bellicę fortitudinis laudatur mulier, tanquam Amazones, Semiramides, & nescio quæ Platonice mulieres, Penelopæ & Lucretiæ imbellibus præferri debeant. Non arcus, sed acus: non conus, sed colus decet mulierem: Mulieris nomen à mollitie deriuatum, arguit mulierem longè ab armis bellicis abesse debere. *Hail* itaque hoc loco aliam significat fortitudinem, nempe mulieri congruam, sedulitatem, honestatis curam, constantiam, & omnem animi virtutem. Sic etiã significat Pro. 12. & Ruth. 3. Hic habetur *esseth hail*, illic andreaia, hoc est, mulier virutis, virilitatis. Qui hic de vocabulo fortis rixantur, & grammaticorum more perpetuò certant, consulant veterem translationem Prouer. 12. vbi legunt, diligentem: Ruth 3. vbi legunt, virtutis. hic *esseth hail*, illic andreaia. Per loca hæc possunt componere litem. Hæretici putat ecclesiam esse somnolentam & socordem mulierē, quæ

*Mulierē
fortē inue-
nire, quid.*

*Arma
mulieri
conuenien-
tia quæ
sunt.*

*Hæreticō
effœmina
ti, mulierē
lubricum
scortillum.*

*non mulie-
rem fortē
putat esse.*

aliquandō cessauerit. Vndē hodie nouum euangeli-
on ad eō noui euangelica stri iactitant, sopitūque pu-
tant & situ oblitum, se ē postliminio reuocasse. Immo
vsque ad eō priscis insultant, vt dubites an ne ecclesia
ante nos vnquā fuerit. Sed ecclesia mater nostra, etiam
fortis est mulier ad resistendum hæreticis, iuxta atque
cæteris huius seculi tyrannis. Extinguentur itaque vbi
Domino visum fuerit. Nos interim ecclesiam matricē,
hoc est, traducis sacræ, martyrum & succedentium sibi
sanctorum pontificum, glorificemus, quia digna est lau-
demus & elucidemus basin veritatis, quia non peccat,
qui tam honestam, tam fortem matronam elucidat.

*Beth:
Ecclesia
fidie Chri-
stus.*

Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Maritus,
vir, sponsus, Dominus, caputque ecclesiæ est Christus,
2. Cor. 11. Spiritu suo & spiritus sui sacris charismatibus
sponsus ille sponsam suam vsque ad eō locupletauit, vt
de eius fide non dubitet. Idolon adulter, ne quicquā
ecclesiam de stupro appellat. Christum Iesum ecclesia
nunquā abnegare poterit. Signaculum fidē certius
est, quā vt vlla ratione de suo sponso Ecclesia dubi-
tare possit. Immo fortis mulier, terribilis quasi ordi-
nata acies, Delboram & Iudith, aliasque eius generis
strenuas referens, hostibus resistet & triumphabit. Spo-
lia ex Aegypto secum auferet. Caput suum hac in rei-
mitatur, qui etiam prædator dicitur Esaïæ octauo Cap-
tiuam ducit captiuitatem sponsus Christus, & dat dona
hominibus. Re ipsa hoc vides præstitum Lucæ vndeci-
mo. Acto. 1. 2. Confidit in cor sponsæ, vndē etiam illi
omnem suam tribuit potestatem, duas puta clauas, hoc
est, remissionis peccatorum & excommunicationis per-
tinacium. Veritatem & efficaciam omnium sacramen-
torum & doctrinæ. Denique & regimen seu moderatio-
nem traditionum & disciplinarum. Omnia hæc faciunt
ad spolia & manubias. Omnia sponso fiunt, quia omnia
propter ipsum & per ipsum fiunt. Ego mitto vos, ait, vt
eat, & fructum adferatis, & fructus vester permane-
bit. Cacus, Satan, Latio & Prædo de prædandus est. huic
in baptismo renunciauimus, bellumque indiximus. Le-
gitimum est bellum: furti & rapinæ nemo ecclesiam
potest insumulare. Litera hic occidit, allegoria ergo

*Ecclesie
præda in-
sigilat.*

quærenda. Dominus rapinas & furta, nisi spiritualia & legitima, non probat. Et hic locus de Christo & ecclesia est interpretandus, Ephes. 5.

Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.

Grata sponsa est, memor quæ sua culpa fuerit, & quæ gratia Dei existat, vnde emerferit. Quotidiè in sacro Missæ sub communionem sacram dicit Psal. 115. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Laudâs inuocabo dominum, & ab inimicis meis salua ero. Nouit ad quos dicatur, Siccinè mihi gratiam refers popule stulte & insipiens? Deut. 32. Grata igitur & beneficiorum acceptorum memor, Domino seruit in iustitia & sanctitate coram ipso, omnibus diebus vitæ suæ, Luc. 2. Sponsa se scit operatam, 2. Cor. 5. Exemplar ecclesiæ cultus, Anna Phanuelis filia, & Anna Ioachemi vxor, Mariæ virginis mater, Domini nostri Aua beata. Hæresis adultera perfida, cultum æstimat ex fide ociosa. Non ociosa. Non sic docet ecclesia, neque sic se habet exemplum Annæ Luc. 2. Hæresis dicit, Domine Domine, Anna seruit Domino in ieiunio, oratione, & elemosyna. De ingratis dicit Hieronym. Fidei mysteria quæ perceperunt, hæretica facie scædando: vel fidem, quam professione seruant, prauis operibus blasphemando vel mores bonos, quibus cum fide recta deseruiunt, per colloquia mala corrumpendo. Hæc ille.

Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Officia laudatæ sceminæ sapiens hic enumerare incipit. Officia ornant matronam honesta honestam. Christus erastes, hoc est, adamator est talis faciei. Officia talia, facies pulchra. Vt videas quam pulchritudinem sapiens celebret Sap. 8. Desponsata Christo ecclesia, non insolescit, sed ad opus bonum inardescit. In fide profert virtutem, 2. Petr. 1. Operibus studet misericordiæ, Matthæi quinto. Sequitur exemplum sponsi, Luc. 7. 10. 15. Matth. 9. 19. Non erubescit lanam pectere, linumque trahere, texere, & hoc genus muliebria officia exercere mulier honesta. Ecclesia itidem tegit nudos, excipit hospitio vagos, pascit esurientes, & huiusmodi instat bonis operibus, certa, omnia quæ vel minimis exhi-

Gimel:
Ecclesia
grata est.
& memor
beneficio-
rum acce-
ptorum.

Deleth:
Officia ec-
clesiæ, fa-
cies pul-
chra, stre-
nue execu-
ta.

ber pietatis officia, Christo suo sponso se impendere. Matth. 25. Esa. 58. Non sibi sollicitum est ecclesie membrum, se aliis alia inferuiunt sedulo. De sedulitate ea ecclesie vide 1. The. 2. 2. Thess. 3. Act. 20. Sedulos nos vult omnes, dicens: Qui non laborat, non manducet. De dispensatione elemosynæ, infra plura dicemus in *Hab.* Qui ecclesie membrum esse contedit, videat ut matrem imitetur. Hæresis erubescat, quæ putat ecclesiam veram sola fide æstimandam: officiorum executionem sedulam, faciem nescit esse pulchram. Catholicus nouit, arboris bonæ argumentum non ex foliis, sed ex fructibus accipiendum.

Officiorum ecclesia ex executionem sedulæ hæresis negat faciem esse pulchræ

He: Facta est quasi nauis infortioris, de longe portans panem suum.

Ecclesia nauis one varia negociator Christus.

Ecclesia nauis est, in qua sponus ipse vehitur, Marc. 4. Tempestatibus variis nauis ea est obnoxia, sed quoniam Christus in ipsa est, nullo naufragio perit, Psal. 45. Mat. 16. Negociatores maria omnia transcurrunt, cibum per ignem quæritant & per saxa. Christus negociator ille sedulus, tantopere animarum lucro inuigilans, intercedit. Ecclesia negociatoris eius est nauis, quoniam ecclesia per spiritum sanctum regitur, & meritorum variæ species in nauis ea oneraria congeruntur. Ipsa vero nauis, etsi fluctuum vndis variè tenetur, nunquam tamen suprimetur. Habet mare suas fauces & angustias. Porta quoque cæli, per quam nauis ea ingredi habet, angusta est, Luc. 13. In nauis illa præcipua merx est verbum Dei, quod est panis vitæ, quod ære non venit, Esa. 55. Matth. 10. Propè est talis panis omnibus filiis ecclesie, Deut. 35.

Ecclesia nauis one varia multorum meritorum

Ecclesia verbi Dei genuinum sensum hæreditat.

Rom. 10. Panem hunc verbi, spiritus sanctus dicit hic esse ecclesie, non quod eius ecclesia sit author, origo & caput, sed quod sensus verbi sit verus & genuinus penes ecclesiam, & quod ecclesia eius efficacem dispensationem habeat. De hac re plura dicentur infra in *Vau.* Qui verbi salutarem sensum & sanam intelligentiam desiderauerit, hæreticorum conciliabula fugiat.

Vau: Ecclesia usquam a deo est sollicita, atque in docendi officio.

De nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Panem vitæ, panem angelorum, cui præfecta est, quod ex Sion & Hierusalem traducem suam refert, Esa. 2 Mich. 4. non recondit auara, Matth. 5. hoc est, non legit citra intelligentiam. Euangelion liberè prædicat in

vniverso orbe, Marc. 8. 16. Ad eius dispensationem media nocte surgit, Psal. 118. Inuigilare habent episcopi studii. Duplici honore digni sunt, qui huic negotio indormiunt. Tauri frumentum si non tritularint, ad panem ad eo aptum non est. Cibaria ancillis suis præbet ecclesia. Ancillæ sunt prælati ecclesiæ: iis ecclesia dat cibum. Episcopi non sedulo docentes, præuaricantur. Præcepta hæreticorum, sunt somnus & vomitus. Emisit verbum suum, & sanauit eos, Psal. 126. utique per ecclesiam, quæ nauis est oneraria omnium charismaton Dei. Non hic de aqua furtiua hæreticorum, nec de raptu intelligenda prædonum præda ea, de qua nunc agimus. Non *Tereph* hic, carnem præda acquisitam significat: sed pro *Mazon*, quod omnem in genere cibum significat, accipiendum. Sic etiam accipitur Iob 4. Psal. 111. Porro *Saal*, quod supra positum est, nihil nisi prædam significat. Hæc est hæreticorum generationis adulterinæ, *Tereph* vero pro *Mazon* accepta, est ecclesiæ. Quod contra nobilitas dictum volo, qui ex raptu viuunt. Viderint an ecclesia mentiatur & hallucinetur, dicens: Peccatum non dimittitur, nisi res ablata restituatur. Ecclesia item cibaria dat in mensura & in tempore. Christus ait: Non potestis portare modo, Ioan. 16. Sapiens ergo hic dicit *hak*, hoc est, ut constitutum est, quantum dandum est, hoc est, iuxta mensuram. Parabola huius loci est apud Lucam cap. 12. non obscura.

Apud Lucam *hak* legitur Græcè *stometrion*: reddi poterit, cibi mensuram, dimensum, diurnum. Spermologus (ut canones habent) est, non theologus, qui huius mensuræ expers est. Apostolus 2. Tim. 2. vocat, Rectè secare sermonem veritatis, Rectè tractantem verbum Dei. Ancillæ hic animas fidelium adumbrant, tamen viles seruas non intellige, sed liberas puellas officiosas. Ancillæ tales puellæ dicuntur in scriptura *Naaroth*: seruæ aliis exprimuntur nominibus. Saracenæ illæ, manent in domo in æternum: Agarenæ hæ, extrudentur foras, Ioan. 8. Gal. 4. Caue vero Saracenas imagineris & credas, saltatrices, ociosas & molles: animæ vere fideles, sunt sedulæ & operosæ.

Considerauit agrum, & emit eum: De fructu manuum suarum Zain:

Hæreticorum præda non sunt cibus & potus, sed vomitus & fœdes.

Ecclesiæ cibaria dat in mensura & loco.

Ecclesiæ Domine ancillæ sunt animæ fideles.

*Ecclesia
ancille nō
torpēt ocio*

plantauit vineam. Vides ancillas ecclesiæ non esse torpentes & molles, cum etiam ipsa ecclesiæ nihil sit officiosius. Dum tempus habemus, ait Gal. 6. operemur bonum erga omnes. Cogitat agrum, & hoc est, considerat, mente volutat, omnia mouet & voluit. Quid vero adeo perpendit? Ut emat agrum. Quem vero agrum emere sibi stauit? Eum, de quo est Mat. 13. Regnū puta cælorum, quod est ager fœcundus. Bonum & felix solum, quod verbum accipit, & creditum, sinè vsura non reddit. Eo spectat ecclesiæ, ut omnes veniant ad agnitionem veritatis, 1. Tim. 2. Hoc cupit ecclesiæ mater, opemque Dei non cassa in vota vocat. Fit voti cōpos, Addit Deus quotidie animas iuxta ecclesiæ primitiuæ exēplar, quod vides Act. 2. 11. Compos fit voti, adeo ut ipsa ager ille euadat Matth. 13. Christus agricola est, 1. Cor. 3. Ioan. 15. Reconciliatio pro peccatis totius mundi, 1. Tim. 2. Creditum est Euangelio eius in mundo, 1. Tim. 3. Regnum Christi dilatatum est per vniuersum orbem, Ro. 10. Syria angustior est, quam ut tanto semini verbo Dei satisfaciatur. Neque item Alexandria satis est ampla, ut tantam maiestatem detineat. Verbi enim Dei tanta est virtus, quæ cælū replere possit & terram. Decrescit, ais, in Asia & Aphrica, Europæ item bonam partem lapsam minitari? Respondeo, Accedere Americam. Non amplitudo ecclesiæ æstimanda ex terræ climatibus & oris multis, neque item ex copia populorum innumerabili, sed ex fidei, spei & charitatis sinceritate & ardore. Cæterum etiam expiata dormitantia, orbis vniuersus tandem cum ecclesiæ in gratiam redibit. De fructu manuum suarum plantauit vineam. De vinea ea vide Esa. 5. Hier. 2. 12. Mat. 20. Luc. 13. Ecclesiæ ager est & vinea. nam & Christus colonus est & vinitor. Ecclesiæ labore & industria vinitor Christus vineam eam suæ parat gloriæ. Ex Aegypto translata est ea vinea Solymas, inde expullulauit in nationes, Act. 11. 14. De vinea hac diximus alibi.

*Ecclesiæ
auctus nō
desinit.*

Hæc:

*Fidei so-
litas prædi-
cationem
abhorret
ecclesiæ.*

Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.
Eccē tibi noui Euangelij nudæ fidei euangelista: ecclesiæ accingitur in fortitudine. Vineam nē labore non fit, nemo sine labore fructus consequitur. Non ergo mera, sed vera fides est prædicanda: non sola, sed operosa fides iusti.

ficat. Qui facit iustitiam, iustus est. Nemo citra pulverem perueniet ad palmam. Nemo coronabitur, nisi legitime certauerit. Ocia dant vitia. Dominus ergo vult vt lumbos nostros præcingamus, Luc. 12. Locum eum si probe intelligere cupias, ipsum huc referas operæ precium est. Quid sibi præcinctio istæ velit, periodi huius lectionis pars illa declarat, Roborauit brachium suum. Agilitatem & voluntatem promptam hic locus significat. Parata est ecclesia, & non turbata, Deute. 31. Iosu. 1. Psalm. 26. Ad operandum parata, de cruce perferenda non turbata. Hæretici audent contra tam manifesta verba scripturæ, liberum arbitrium fidelibus negare. Accingere se & corroborare, nihil aliud quam velle & posse, significant, atque adeo liberum arbitrium ecclesiæ adumbrant. Non tamen libertatem eam posse & velle, habet ex se ecclesia. Christus omnis omnium fidelium est virtus & sufficientia. Virtute ea, quæ Christus est, opus habet ecclesia ad obsequia Dei peragenda, primæ Petri capite quarto. Cruci assuefacti, etiam subindè corroborantur. Luc. 22. vides quoque Christum ipsum sic occaluisse. Lumbi habent significationem voluntatis. Brachia adumbrant operositatem. Summa, Credenti omnia possibilia.

Gustauit & vidit quia bona est negociatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Hæretici vulpecula astutæ, etiam bona opera docent. Vident doctrinam solius fidei eneuem esse & vanam, si nihil de bonorum operum acerbitate sapiat. Docent itaque & opera bona, sed merito carentia. Virginitatē dicunt apud Deum eiusdem esse meriti, cuius est & matrimonialis, etiam bigamiæ & polygamiæ, vsus: Eandē gratiam habere apud Deum ieiunium & saturitatem. Quid hoc aliud est docere, quam ecclesiam non gustare suam negociationem esse bonam? Ecclesiæ negociatio bona, quia in cælo thesaurizat. Mar. 6. Fructus manet ecclesiæ. Certus est Apostolus, suum sibi referuari depositum in illum diem. Qui large sementem facit, largè metet. Hoc gustauit, id est, cognouit Ecclesia. Præsentem Dei bonitatem cognoscit, erga eos qui permanent in bonitate. Gustate, ait, & videte, quoniam bonus Dominus, Psalm. 33. his qui tribulato sunt

Ecclesia parata & non turbata, hoc est, liberi est arb.

Lumbi, voluntatis habent significationem.

Thet. Hæretici frigidè docent opera bona.

Ecclesia gustat suam negociationem esse bonam.

corde, qui permanent in bonitate, Rom. 2. Gustat ecclesia æterna cælestis gratiæ, Heb. 6. Hilariter ergo impendit, die & nocte laborans. Semper laborat, semper orat, media nocte surgit, semper meditatatur legem dei, Psal. 1.

Iod.

Ecclesia sedulo operi instat.

Mannam suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fenum. Præstans animi mulier Penelope, solebat nendo spatiofam fallere noctem, Lassauit itidem illi viduas manus tela pendula. Sic etiam Lucretia ad fortia suas manus misit. Sed quid nobis cum ethnicis, cum nostratiû exempla sint in promptu? Mactatorum filiarum, laborum à teneris sunt assuetæ, in opere faciundo semper intentæ fuerunt omnes, quæ sanctitatis laudem meruerunt, Sara, Rebecca, Ruth, Iudith, & omnes hoc genus reliquæ. Si nobilis & diues sit matrona, attamen laborare debet, vt habeat suis partum manibus quod det Christo, monente Apostolo. Laboradum vt satis fiat præcepto Dei, Gene. 2. Psal. 127. Filare, hic opus muliebre quidem exprimit, sed superuacaneum non est. Vfus etiam eius operis indiget. Non sunt contenenda minima tanquã ociofa, sine quibus magna constare non possunt. Metaphora item nendi, omne opus necessarium exprimit. Si mysticè vis intelligere, Opus bonum, pensum trahere significat & nere. Hinc fit vestis nuptialis Matth. 22. Qui bonorum operum veste est redimitus, in die honestè ambulat, Roman. 13. Non inuenietur nudus & turpis, 2. Cor. 5. Summa: Ecclesia sedulo operi instat, 2. Cor. 11. quia certa est de præmio Mat. 5. 10. Heb. 11. 1. Tim. 4.

Opus bonum significat filare apud Salomonem.

Caph.

Ecclesia scit eleemosynam gratam esse Deo.

Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Secundum literam hunc locum accipimus, videntes eleemosynam nobis post verbum & sacramenta esse salutare, Psalm. 112. Matth. 25. 1. Corin. 13. Tautologia eleemosynam nobis hic commendat regius propheta. Act. 2. & 4. fractio panis. Item per omnes ferè epistolas Pauli cura pauperum. Ad Corin. 1. cap. 7. Agape, & hoc genus sexaginta, arguunt eleemosynæ primitiuam ecclesiam sedulo instituisse. Idem vides item per omnes ecclesiæ historias. Nô ergo video, quare vel Laurentium, vel Martinum, vel Nicolaum huc referã. Hoc præcipuè obseruatu est dignum, ecclesiam primitiuam eleemosynam tantum sacramentum habuisse, vt sua de

na, quæ pauperibus dare constituerunt, sacerdotibus offerrent, per eorum manus Deo in pauperum personis dispensanda. Vide Ambrosium lib. offi. 2. cap. 26. Item Chrysostomus ad populū homil. 37. Bonorum ecclesiarum quoque meminit sanctus Hieronymus super Matt. 18. Item ad Saluinam de viduitate seruanda. Super Esa. ca. 3. vbi in Iudæ Scariothis exemplū imitantes ecclesie magnates, inuehitur, dicens: Qui ecclesiarum opibus abutuntur in delicias, publicasque stipes quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reseruant, vel propinquis distribuunt, & alienam inopiam suas suorumque faciunt esse diuitias. Hæc ille. Memores fratres sumus verbi iudicis, dicentis: Stulte, cui hæc reseruasti, Lucæ 12? Quod verbū non aliquando audiamus, prestemus hoc quod idem monet, dicens: Date, & dabitur vobis. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.

Non timebit domus sua à frigoribus nivis: omnes enim domus fidei eius vestiti sunt duplicibus. I piger ad formicam, & discite ex ea sapientiam. Cōparet sibi ecclesiasticus vir ea, quæ Christiani sunt hominis, tempori, 1. Corin. 3. vt possit stare in die malo. Ephe. 6. Frigus est & animæ suum. Charitas ignis est, fides lux est. Petrum fide vacillantem frigus prescit, Matth. 26. Frigescet charitas, ait Mat. 24. Frigus est, neque sacramentis neque verbo Dei sedulo frui, Mat. 13. Monemur itaque hic, vt auditui verbi & sacramentorum participationi diligenter instemus, & operibus elemosynæ operam demus, ne quæ nobis aut fides deficiat, aut charitas. Si sapienter super petram ædificauerimus, neque venti frigidi & vehementes, neque item fluctuum tempestates nobis incommodare poterunt, Matth. 7. 16. Hei mihi, quantum frigus vret solius fidei vestem habentes, Domine Domine ingeminātes. etiam miracula edentes? Stridor dentium & luctus æternus huiusmodi manet hæreticos. Beatus qui obaudit ecclesiarum, audiens verbum Dei, & custodiens illud. Audiat hic Hieronymus, dicens sapientiam & patientiam facere ad repellendas hæreticas falsorum fratrum doctrinas, & ad apertorum hostium pugnas tolerandas. Hanc securitatem sequitur etiam pax conscientiarum, qua redemptorem videbunt propediem venturum omnes qui be-

*Lamech.
Ecclesia
quæ frigus
non mouet.*

*Frigus solius
fidei
est vehemens.*

ne viuunt. Malis siquidem operariis paratus est ignis æternus. quòd si de Hebraico *Scha nim* quis dubitauerit, num hic accipiendum sit vt Esaię primo, credo vix aliter accipi posse. Carterùm omnes veriores, etiam Septuaginta, sic translulere, tanquam dualiter in Hebræo sit positum;

*Mem:
Ecclesia
stragula
qua.*

Stragulatam vestem fecit sibi: byssus et purpura indumentum eius. Stragula hic mysticè accipias oportet, nempe p̄ gaudiis spiritus sancti, Ro. 14. Stragulum à sternendo, significat id quod vulgo vocant lectisternia, tegetes, rape res, &c. Spiritus sanctus in nobis mansionem requirit sibi. Christi item deliciae sunt, esse cum filiis hominũ. Superest ergo vt ecclesia se reclinatorium Dei norit: seque summo identidem exornet studio, Psal. 44. Mundi estote, ait Esa. 1. Sanctus Deus est. monet ergo Moses, vt & nos sancti simus. Multicolor hic locum habet ornatus. Candor significat innocentiam, rubor constantiam. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum, Act. 14. De utroque colore ait S. Hieronymus: Sancta ecclesia electorum floribus vernans, in pace habet lilia, in bello rosas. Decorem eum varietatis vidit Ioannes in Apo. 9. vbi Alleluia promit. Nuptiæ agni sunt factę. Beati qui eius agni vellere sunt redimiti in simplicitate & fide, hoc est, cõuersatione sancta, Lu. 1. 1. Pet. 3.

*Nun:
Ecclesia
est gloria
Christi.*

Nobilis in portis vir eius, quando sederit cū senatoribus terræ. Corona viro, mulier sapiens. Vides ecclesiam esse gloriam Christi. Christi sponsa est ecclesia non solum militans, sed præcipuè etiam triumphans. Faceat ergo hæresis, sanctorum gloriæ iniqua. Pergat pia mater Ecclesia militans, diuorum perpetuare cultum, quoniam redundat in duplicem gloriam Christi, qui est caput coronæque omnium sanctorum, cum militantium, tum triumphantium. Nobilis, antiquus, & magni nominis nunc est sponsus ecclesiæ, qui olim damnatus & reprobatus est ab Anna, Caipha, Pilato & Herode, Ioan. 18. Mat. 26. 27. Lu. 23. Lapidem eum reprobatũ cælestis patet statuit in anguli caput. Adeò exaltatus, vt nũc aliud nomẽ salutis neq; in cælo neque in terra credatur, Phil. 2. Data est illi omnis potestas in cælo & in terra. Ad erit mox iudex viuorum & mortuorum. Matt. 25. Act. 1. 10

Aderit, inquam, in magna gloria medius senatorum, & seniorum sedes duodecim occupatorum, & duodecim tribus Israel iudicatorum, Matth. decimonono. Nobilis ille vir est, de quo ait Psalm. 75. Ex præmissis etiam conficies sine negotio, quid sit sedere cum senatoribus, idque in portis. Notum item est, intra portas iustitiæ olim factam administrationem, hoc est, legum declarationem, sententiarumque pronuntiationem. Hic tum ciues, tum coloni conueniebant: huc tam seruis quàm dominis confluendi copia dabatur: vnde iuxta portas iustitiæ fiebāt, vt omnis suspectio iniquitatis ab omnibus tolleretur, & æquitas iudiciorum omnibus manifestaretur. Hieronymus reddit rationem, quare laboriosum vulgus agriculturalium, intra vrbes non fuerit admissum: nempe hanc, vt simplex & pia rusticitas, à perniciosa vrbica pompa custodiretur. David cōqueritur de sedentibus in portis, & contra se inique iudicia proferentibus, Psalm. 68. Faxit Deus, nihil tale hodie committant iudices filij hominum.

Porta in-
script. ca-
nonica in
dicij habet
significa-
tum.

Samachi:
Ecclēsia
lucrosa est
exemplo
sponsi.
Ecclēsia lu-
croso est
nō mam-
moni, sed
Christi.

Sindonem fecit & redidit, & cingulum tradidit Chananeo. Lucrum querit mater nostra, certa sponsum idem facere. Sedulæ matronæ atque lucrosæ, ferè in tabernis fornicarijsque institutijs lenocinia & byssina habent. Vnde hic Septuaginta interpretes legunt perizomata, quemadmodum & Moses Gene. tertio. eadem dictione vtitur. De zonis alius tropus est dicendi, de quo vide Esa. vndecimo. Hic ne auti sacram famem ex occidente litera statuamus, Hieronymo subscribemus, euangelion sindonem interpretanti. Ecclesia negociatrix illa questu adeò indulgens, bone Deus, quàm xylinas & polymiticæ merces nouit adornare. De cura atque studio isthoc, vide Ioan. quinto. Roma. 15. 2. Thessal. 3. Ioan. 16. Giezi, Judas Scarioth, & Simon magus, non arbitrentur hic ecclesiã ex euãgelio lucrũ atque emolumentũ aucupari. Lucro est, sed Christo, nō mundo. Expendit cōmodat, dat ad vsurã, sed non nisi ad Dei gloriã. Semen vult vt germinet, fructũq; multũ producat, Mat. 13. Heretici putant ecclesiam hactenus aut dispendiosam fuisse, aut ociosam. Ostendit Dominus Petro vas linteum, plenum bestiis immundis: quid aliud hoc credamus esse,

*Ecclesia
quale cin-
gulum tra-
dat Cha-
nanæo.*

quàm lineariam atque purpurariam nostram compen-
diosam, Act. 10? * Cingulus hic significat minatoriam
& arctiorem disciplinam, qualis est, Declina à malo, &
fac bonum, Psal. 30. Pœnitentiam agite. Item, Nisi pœ-
nitentiã egeritis, vos omnes vna peribitis, Luc. 13. Mer-
cimonium hoc, est ecclesiæ salutare. Chananæos tales
amat iudex, qui ysuram veniens à suis requirit. Caterũ
quàm probet Chananæos mundinarios & agoræos, de
quibus agunt Sopho. 1. & Zach. 14. iudicet ipse lector.

*Ain:
Ecclesia
indumentũ
pulchrũ et
honestum.*

*Fortitudo & decor indumentũ eius, & videbit in die novissi-
mo.* Vel sic, *vveidlich vnd zierlich Fleidet sie sich*, Hoc est,
Magnificè & decenter vestit se. Suprà in *Mem* Salomon
item ait de vestitu decentissimè huius matronæ. Illam
pulchram dicit esse, hunc honestum. Venusta est eccle-
sia etiam iuxta speciem externam: qua lucet eius lux, vt
videant homines eius opera bona, & glorificent Deũ,
Matt. 5. Sed internam etiam habet virtutem, fortitudinẽ
& robur spiritus sancti, ad bonum opus perficiendum.
Hoc vult fortitudinis vocabulum, Psal. 92. Magnificen-
tię vocabulum exprimitur in Psal. 103. ecclesia vt se suo
capiti conformet, necessum est, Levit. 19. *Kadosim, thiben
ki kados ani Adonai Elohechem*, Hoc est, Estote sancti,
quoniam sanctus sum ego Dominus Deus vester. Idem
dicitur etiam 1. Petr. 1. Fortitudo, quæ ad pœnitentiam
pertinet, nostra est vestis, secundum Hieronymũ. Decor
sue magnificentia item nostra est vestis, quippe ad or-
natum pertinens. Christiani sunt potentes per spiritum
sanctum, ad perferendas tribulationes, Matt. 5. Magnifi-
ci & splendidi item sunt in operibus iustitiæ & honesta-
tis, iuxta hoc quod Septuaginta hic ponunt euprepian,
hoc est, benedictiam, de re licita & honesta. De veste
iustitię habes Psal. 131. Apostolus vocat loricam Ephe.

*Ecclesia
sua ridet.*

6. Ecclesia hac veste ornata, non pudefiet in æternũ. Stul-
ti veste nuptiali carentes, cum sua sola fide eiulabũt, se-
leque ipsos erubescunt, Luc. 21. Huic mundo Habel re-
putatur, & Deo Habel æstimatur. Hic accepta propter
iustitiam, illic despecta propter simplicitatem: in tempo-
re verò suo erit Isaac, hoc est, ridens. Complebitur in
ea verbum Luc. 6. Beati qui iam lugetis, quoniam ride-
bitis. Summa: in actu solatium.

Os suum aperuit sapientiae, & lex clementiae in lingua eius. *Phe.*
 Haec Salomon verus, Christus Iesus, ecclesiae catho- *Ecclesia*
 licae sponsus, sponsam de bonis operibus & sedulitate *eloquia*
 operum eorundem commendavit, nunc eloquia eius *Christo*
 praedicare incipit. Potentem in sermone fatetur, ad con- *grata,*
 tradicentes convincendos. Luc. 21. Sapientia ait: Ego da- *quia gra-*
 bo vobis os & sermonem, cui non poterunt resistere om- *uia, ad bo-*
 nes aduersarii vestri. De hoc ore ait Prou. 10. Os iusti *na opera*
 parit sapientiam. Idem dicitur psal. 36. 48. Os iusti lo- *excitantia.*
 quitur sapientiam. Haeretici temerarii futilia loquuntur.
 Ecclesia eloquia sua sale condit, Col. 4. Nouit quando
 loquatur, nouit quid amicis & quid hostibus dicat. Sa-
 pientiam eam loquendi postulat à Deo, Iaco. 1. Quic-
 quid postulauerit, accipit, Matt. 18. Luc. 11. Ioan. 14. Non
 est calūniosa vt haereticis. Non est garrula & vaniloqua,
 solam docens fidem, sed summopere vrget ad bona o-
 pera, Mat. 5. 6. 7. Luc. 6, & c. Lex clementiae, lex euange-
 licae perfectionis in lingua eius. Etiam in corde psal. 36.
 E corde in os ascendit, Exo. 13. Inde non solum in ver-
 ba, sed etiam in opus erumpit, Luc. 11. Ioan. 13. Rom. 2.
 Iaco. 2.

Considerauit semitas domus suae, & panem ociosa non comedit. *Zadik.*
 Materfamilias sedula, non solum ipsa rei manum ad- *Ecclesia*
 mouet, verum etiam statum domus suae circumspicit, e- *fuura eto*
 piscopa, speculatrix & superintendens priuata. Oculis *am prospic*
 Domini saginat equos. Dominus est Argus, seruus Cy- *cit, neque*
 clops & Polyphemus exoculatus. Exemplo matronae *temeraria*
 operosae atque prouidae, episcopus quoque ad sedulita- *est, vt sint*
 tem & circumspectionem hic admonetur. Attendite vo- *haereticos.*
 bis & uniuerso gregi, dicit Apostolus Act. 20. Quippe
 cum reddituri sunt rationem pro fidelium animabus,
 Heb. 13. Sic ergo se gerant, ne caeci speculatores argu-
 antur, Esa. 56. Animaduertant igitur diatribas, vt apud
 Graecos est, hoc est, adstantes & euntes, atque adeo ad
 omnem statum ouilis Christi. Non est tarda, sed lente
 festinat: quia tametsi ex opere ad opus properet, nihil
 tamen temere facit. Ad ordinem & decorum omnia exi-
 git. Panem ociosa non comedit, Eccle. 33. Ezech. 16. 1.
 Tim. 5. Qui non laborat, ait Apostolus os ecclesiae, non
 manducet, Arguit Cretenses acediae & luxuriae Solius

fidei doctores, ad Caini conciliabula pertinent, non ad ecclesiam Abelis. Hæresis est temeraria, texens retexenda, finis immemor. Diuus Hieronymus accipit etiam hæc verba de sacra eucharistia, dicens: Panem ociosa non comedit, cum sacrificium Domini corporis percipiens, studet imitari actu, quod in mysterio celebrat: multum sollicita, ne indignè panem Domini comedendo & calicem bibendo, iudicium sibi edat & bibat: sed ut in patiendo pro Christo, ac lacrymas fundendo, bonis quoque actibus insistendo, passionum exempla ipsius, quantum valet, sequatur. Hæc ille.

Koph:

*Ecclesiam
prædicant
filij sui,
hæretici
cauillant.*

Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius laudauit eam. Hæretici sese adulterinos esse, vel in hoc ipso potissimum declarant, quod ecclesiam matricem & triumphantem identidem præ se contemnunt. Filij ecclesie sunt, omnes qui in ecclesie alio sunt fotti & indè nati. Ecclesia habet virtutem sacramentorum, & veritatem efficacem verbi: quod dicitur alius ecclesie, vnde etiam ecclesia dicitur mater vel matrix. Ecclesie non sunt, qui ecclesie dogmata partim recipiunt, partim reiciunt. Obloquantur nescientes quid faciant, Luca 23. Catholici agnoscunt columnam veritatis. Ecclesiam ergo non possunt non prædicare, à Domino Christo sponso ecclesie, mercedem honoratæ matris accepturi. contra, hæreticorum oculos matrem subsannantium, aquilæ in gabalis & in palis suspenforum effodient. Beatos prædicamus militantes in spe, triumphantes in re, vtrunque in veritate, Rom. 8. 2. Cor. 5. Illic in patria tandem verè, quid ecclesia sit, apparebit, 1. Ioan. 3. Dominus Iesus eam suam sponsam ipse beatam prædicat, idque affirmat, Matt. 5. Luca 6. Ex hoc loco inferimus, solam esse beatam & sanctam ecclesiam catholicam: quoniam spiritus sanctus eam occupat, sibi peculium & iucundum secessum. Hac in arca Noemi qui delitescit, securus erit, Gen. 7. 1. Pet. 3. Spiritus laudat sponsam etiam in Canticis: laude ergo digna, etiam si hoc ægrè ferat adultera hæresis, 1. Cor. 14. 2. Cor. 10. Ad diaboli ppositutam hæresin dicet tandem: Ite in ignè vobis & diabolo paratum: ad sponsam verò dicet, possidete regnū patris electi, Mat. 25.

*Ecclesia
catholica
sola est &
sancta &
beata.*

Multæ filia congregauerunt diuitias. tu supergressa es vniuersas. Hunc locum Res, cum Hieronymo intelligendum credimus de hæresion variis conciliabulis atque speluncis. Multæ huiusmodi speluncæ, vna vorò est ecclesia. Oportet hæreses esse, ait in plurali, 1. Cor. 11. Hieronymus etiam etiam hic malorum catholicorum comprehendit turbas. Sunt æquè perniciosi mali catholici, atque hæretici manifesti. Lamuel vult dicere: Sanè hæretici multas coaceruant opes, scribaces sunt, prædicaces sunt vsque ad rauim, curitant non missi, sacerdotes catholicos expellunt, sese ingerunt & vi intrudunt, comminiscuntur nouas ordinationes, psalmos nouos cantillant, factiosi planè: sed palea est quidquid congerunt, ventum vehementem spiritus sancti, hoc est, iudicium Domini Iesu non sustinebit. De catholicis dicit: Et vester fructus manebit. Superest adhuc *hail* hoc est, facultas, substantia & res ecclesiæ, per annos mille quingentos & † quadragintaquatuor congesta. Inuidet stultus Amyntas. obloquitur, & quantum potest, obest. Nisi enim aliquid noceret, mortuus esset. Atqui ecclesia incus maxima, morsus eos caninos non metuit. Benè fundata est super firmam petram, Matt. 16. 18. Acto. 2. 20. 2. Corint. 11. Ephes. 2. 1. Timot. 3. Hæreses perditioni adiudicantur. Rectè quæ perdit alios decipiendo, ipsa quoque perit. S. Petrus vocat hæreses perditionis, propterea quòd alios secū perdit, 2. ca. 2. Hæreses infelices, similes sunt Iudæ Galilæo: nam vt is sese vocabat (teste Origene) filiū Dei, sic & manes vocabat se Christon, item apostolum Iesu Christi. Iddem item dicere solebat, suos complices veram esse ecclesiam, teste Augustino. Celsus philosophus libro suo contra euangelion conscripto nomen fecit, Verum sermonem. Iulianus gentibus veritatem retulit acceptam. Simon Magus appellabat seipsum virtutem Dei. Samosatenus spiritum sanctum sese & angelon nuncupabat. Hūc angelon è cælo missum cantillabāt mulierculæ. Contrà, Cōstantij imperatoris cubicularius Athanasium catholicū esse negauit. Idē quoq; nisi auderēt nostrates hodie apostolastri, nō possent hæresios insimulari. Montani affectatrices, se veditabāt prophetissas. Quis non videt hodie Mōtanistas

Res.
*Hæretico-
rum conciliabula varia, diuitias congregant euanidas.*

Ecclesia vna, opes colligit in æternum manentes.

infignes, execrabiles libellos in lucem edentes? Respondet exoticæ doctrinæ meretrici Bernardus, dicens: Vos estis tenebræ mundi, lux modij. Item Constantinus Imp. ad Liberium: Quota pars es totius orbis? Quoniam tu solus terrarum pacem ecclesiæque dissoluis. In hæresin quadrat:

Thersiten facie dixeris esse bona.

Hæresis dicitur filia, quia est ex ecclesia. Ex nobis erant, ait Apostolus. Hæretici item (vt Tertullianus ait) sunt exercitatisimi scripturarum. Breuiter: filia illa æmula, operosa est, sed nihil ad quercum. Operam ludit omnem. Rana se boui æquans, crepit. Filias vocat hæreses, propterea quodd (vt S. Ioannes ait) ex nobis erant. Ceterum prostituta sunt & adulteræ. Ecclesia apud Hebræos nomine, quo ingentes diuitiæ exprimuntur, appellatur. Hæresin tanta ac talis matrona tantum superat, quantum muscam & bupestrem phœnix excellit & porphyrio, quantum luto præstat aurum, & umbræ corpus. Minus est si hic cum Marone dixeris:

*Atque hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Fallax gratia & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Audiant hæc aulicæ saltatrices, audiant hæc vrbicæ lupæ, audiant hæc quæcunque lezabeles, Athaliæ & Herodiades, superbæ & fastidiosæ. Si Christi sponsæ esse contenditis, quare vos huic mundo atque ad eò diabolo ornatis? Quæ Christi esse contenditis, Christo placere studeretis, I. Corin. 7. Antichristi, non Christi, vox est:

Munditiis capimur: non sint sine lege capilli:

Ad motæ formam dantq; negantq; manus.

Melius idem vates loquitur, & propius nostris responderet, dicens:

Forma bonum fragile est: quantumque accedit ad annos,

Fit minor, & spatium carpitur illa suis.

Sic & Esaias noster cap. 40. ait, gloriam eam occidere instar floris. Idem quoque submonet S. Petrus I. cap. I. Quid ergo perituri pereunti mundo adhæremus? quid arundini nitimur fragili, Esa. 36? Mundus transit, ait Ioannes, & concupiscentia eius.

Schin.

Gratia

heroidum

aulicarum

superbarum

fallax.

Omnia pratercunt, prater amare Deum.

Timor Domini manet in æternum. Timenti Dominum benè erit, & omni operanti bonum. Solius fidei doctores euangelicatri, quid aliud faciunt, quàm quòd Dei timorem è medio tollunt? Præfracti hodiè euangelici fratres, neque ius neque æquum curantes, quem non catholicum sacerdotem miseris modis accipiunt? Cuiates hi sint, ipsi designant. Ecclesia suos vndique filios ad timorem Dei inducit: etiam ipsa, ne qua hæreticis grauis sit, multa suffert. Quid verò? Nunquid insolentis filij mater Agar illa, Dominæ ecclesiæ præualebit? Absit. Foras mittetur cum filio petulanti ingrata ancilla.

Date ei de fructu manu suarum, & laudent eam in portis opera eius. Sponsus vir & caput ecclesiæ, hæc loquitur. Hic hæretici surdastrum planè & cæcutientes. Sensus est: Opera eorum sequentur illos, finem habebit omnis labor suus, Apoc. 14. Messis iucunda manet laboriosam agriculturam. Seminantes, eunt & fient: venientes verò, venient cum exultatione, portantes manipulos suos, Psal. 125. Galat. 6. Vnicuique secundum opera sua, Mar. 16. Rom. 2. Qui bene egerunt, ibunt in vitam æternam, est confessio ecclesiæ in symbolo Athanasij, sumpta ex verbis Christi, Ioan. 5. Milites boni in tempore iudicij coronabuntur. Tunc, quis fructuum spiritus vsus, lique scet. Summa: Fides per virtutem spiritus sancti operosa, non erit cariosa. Meritò ergò beatam Annam laudibus in cælum extollimus, ei secundum opera manuum suarum dantes. Laudent eam in portis opera eius. Audiat catholicus & recreabitur eius spiritus. Audiat hæreticus, & tabescet liuidus. Felix illa terra, quæ nobis protulit radicem Iessæ. Infœcunda sanè non fuit: benè ergò cultam, benè elaboratam fuisse colligimus. Deus scit quos elegerit, nempe eos qui recedunt à malo, & faciunt bonum omni tempore. Sancta mater Anna dicitur electa: certum ergò est, quòd in omni opere bono fuit assidua. Oret pro nobis sancta Anna Christi auia electa, vt & nobis contingat fortitudo & decor, vt nos per gratiam Dei sic geramus, vt electionem nostram certam faciamus, Amen.

Euangelici fratres, timoris Dei vani, neminem non iniuriis afficiunt.

Thau. Opera bona p'sunt, ad iudicium & ad cæli fideles secutura.

POSTIL. VVICEL. SVP. uENANG.
IN FESTO SANCTAE ANNAE,
Euangelium Matt. 13.

Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem
qui inuenit homo, &c.

PRAEFATIO.

Euangelista sanctus Matthæus in hoc capite sep-
tem inducit gnomas. Prima est de semine, secunda
de zizaniis, tertia de grano sinapis, quarta de fer-
mento, quinta thesauri, sexta margaritæ, septima verri-
culi. Summa omnium, Christianismi est declaratio. Cõ-
mendatur in mirum modum regnum caelorum, quippe
in quo vnice fit salus. Atqui primæ duæ parabolæ osten-
dunt, non omnes verè esse de corpore Christi, qui in ec-
clesia videntur, hoc est, qui baptizati scilicet sunt, & au-
dierunt verbum, tenentque multa arcana regni celo-
rum: esse etiam simulatores & malefactores. Diabolus
non agit ferias: duas conatur fundare basilicas. Vbi vi-
derit Christum vnum ædificasse facellum. Pusillus grex
ecclesia vera, Matt. 7. Luc. 12. 1. Pet. 3. Sed semen siue gra-
num sinapis non tamen supprimitur, nullum est inter o-
mnia grana, quod semel in terram iactum, tenaciùs ad-
hærescat. Idem significat fermentum. Succreuit ecclesia
ex paucissimis fratribus, quod liber Actuum satis decla-
rat. Item ecclesiasticæ historiæ Eusebij & aliorum, idem
ostendunt. Quid tres nouissimæ gnomæ sibi velint, nos
in præsentî sermone indicabimus.

*Pauci
electi.*

*Beatitudo
preciosis
rebus com-
paratur.*

*Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. Para-
bolas priores Dominus ipse edisserit, de semine puta at-
que de zizania, &c. Quid thesaurus & margaritum sibi
velint, oportet vt scripturæ autoritate illucidemus. Ip-
sa beatitudo, summūq; bonū, his rebus designatur pre-
ciosis. Est auté tantū bonū, fons & caput totius bonita-
tis, Christus Iesus. Thesauros huius mundi, inimici ab-
sportare possunt, non illū de quo hic agitur. De illo ha-
bes exēpla 4. Reg. 24. 2. Paral. 12. &c. Huius cõmeminit
Apostolus, dicens nobis immensum esse thesaurum in
vasis fictilibus. Item Christon dicit in nobis habitare
opulēter, 2. Cor. 4. Itē, In Christo recõditas esse omnes
gazar sapientiæ & scientiæ, Coloss. 2. Vbi thesaurus il-
le reuerà est, ibi proculdubio etiam est cor: quia vbi*

corpus, vbi etiam aquilæ. Hæ diuitiæ etiam apud Deum preciosæ habentur, Luc. 12. Hic thesaurus facit hominem timentem Dei, Esa. 33. Nam & omnes qui thesauros con-
 gessere, solliciti sunt. In cælo vero tutum est, quidquid il-
 lic condiderimus, Luc. 18. Nihil sunt gazæ Aegyptiacæ,
 Babilonicæ, Arabicæ, Indicæ: nihil aurum Tagi & Pacto-
 li. Hic noster thesaurus omnia est in omnibus, & sine ip-
 so nihil est. Vndè Sancti confessores & Martyres huius
 seculi bona, etiam corpus ipsum, non dubitauerunt per-
 dere, vt thesaurum hûc verum conseruarent. Supra apud
 eundem euangelistam, ager dicitur mundus. Sed non coë-
 mendus est vulgaris emptionis modo. Et quare fidelis e-
 mat, mundum, quem iam possidet, 1. Cor. 3? Hic regula
 locum habet sanctorum patrum, qui negant parabolas
 ad verba debere singula interpretari. Vel fortè emere
 mundum, in quo thesaurus ille absconditus est, significat
 Deum ex visibilibus posse perspici, Rom. 1. & 2. Omnis
 creatura dat testimonium de creatore. Hilarius dicit, the-
 saurum hunc, esse Deum latentem in homine, Christon *Mundus
 spirituali-
 ter emitur*
 puta in carne: quod nihil aliud est, quam Deum incarna-
 tum huic mundo innotuisse. Non in cælo, sed in terra co-
 gnouimus atque inuenimus eum. Ager forte non incom-
 mode accipitur pro ecclesia, & sic emptionis ratio ma-
 gis conueniet. Sed quidquid id est, absque auro & ar-
 gento emitur ager ille: sua relinquendo omnia, potissi-
 mum comparatur. Fideles possident emptum. viderint
 vt fruantur thesauro, dum tempus est gratiæ, 2. Cor. 6.
 Propè est nobis verbum, nempe in ore & in corde, Rom.
 10. Indicium huius thesauri, est verbum Domini. Scriptu-
 ra est etiam ager, in quo absconditus est thesaurus Iu-
 dæis, nobis manifestus. Hieronymus de scriptura intel-
 ligit. Chrysostomus & Theophylactus thesaurum di-
 cunt esse sanam euangelij doctrinam. Nos omnia com-
 plectimur: nam cum dicimus Christum esse thesaurum,
 verbum non secludimus: quia Deus erat verbum, & ver-
 bum caro factum est. Mundi huius amatores, suos sub-
 indè recolunt thesauros: nobis idem præstandum sapien-
 tiæ indagatone, Proverb. 2.

*Quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit,
 & vedit vniuersa quæ habet, & emit agrum illi.* Thesaurus no-

*Thesaurus
preciosus
Christus.*

ster preciosissimus, est verbum caro factum. Hic thesaurus est in mundo repertus forma, vt homo, Philip. 2. Et cum hominibus conuersatus est, Baruch. 3. Denique omni mundo denunciatus & receptus, fides habita est euangelio, 1. Tim. 3. Beati qui eum agnouerunt, donum indignissimis nobis contigisse hoc ter maximum, Ioann. 3. Suo iure dicunt illi cum Andrea: Inuenimus Messiam, Ioan. 1. Abscondit: abstinet & patitur, deprimat se, & humiliabitur. Cautè agendum in tantis rebus. Qui gestit thesaurum se inuenisse, ipsum thesaurum prodiderit. Præ gaudio vendit vniuersa, mundo renunciat, voluptatibus & gloriæ vanæ moritur, se deniquè totum mortificat, vimque sibi spiritualem infert. Dicis hoc esse luctuosum. Carnalibus luctuosum satis est: sed iis qui thesauri huius precium norunt, non item. Hi dicunt: Quis nos diuertet à Christo? Num gladius? num ignis? num alia quæcunque violentia? Num præsentia, præterita, futura? Certi sumus, quia neque ipsa mors nos à charitate Christi possit separare. Nemini carnali spiritualis illa gloria potest persuaderi. Felicitas, inquam, Christianorum nullis verbis potest explicari. Qui infelicitatè & miseriam huius carnis vitæ non nouit, gloriam regni Christi videre non poterit. Thesaurum itaque illum rectè discernentes, gaudentes omnia reliquant: gaudentes omnia discrimina subeunt, tanquam carbones pro thesauro & auro commutantes. Vendit vniuersa, & emit non thesaurum, qui inestimabilis est: sed agrum mercatur, in quo thesaurus est absconditus. Seipsum homo sibi negat, omnia relinquit, in solo eo thesauro gloriatur. Mortalem se quisque nouit. Nihil huc intulimus, nihil efferemus. Et quid fuerit, si homo vniuersum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ incommodauerit? Marc. 8. De thesauro ergo illo solliciti sunt pii, qui non perit, qui possidentem se semper sectatur, nec vnquam deserit. Et quid est homo nisi humus? Nonne expedit, vt oculus, manus, pes, & aliud quodcunque charum corporis membrum amputetur, vt vita hominis conseruetur, Matthæi quinto? sic sine omni querimonia homo thesaurum Iesum rectè tenens, omnia odit, hunc vero thesaurum vnice custodit.

*Iterum simile est regnum caelorum homini negociatori, qui erenti bonas margaritas. Inventa autem una preciosa margarita, ab-
 it, & vendidit omnia quae habuit, & emit eam.* Parabola hæc, cum superiori planè vnum habet sensum. Similitudines sunt ex huius mundi infania, qua auri & argenti student possessioni, qua gemmarum insudant acquisitioni. Fuerunt olim ethnici hac in infania planè submersi: sed nostrates hodiè omnem omnium ethnicorum execrabilem eam philargyriam multis parasangis excellunt. Euangelici iuxta atquè ecclesiastici avaritiæ student omnes, nè mentiantur prophetæ, Esa. 56. Hier. 6. Duplices itaque sumus idololatæ, scientes avaritiam esse idolatriam verissimam. Non fatis est optimatibus, nulla sibi temperare à calumnia: etiam excoriare iam excoriatos, pecudem miseram tondere ac deglubere, atque adeo in proximum peccare, etiam aris ipsis insidiari, audent. Quis dubitat eos etiam sacræ eucharistiæ, quam etiam hodiè blasphemis profcindunt, vim illaturos, si aurum indè eliciendi aliqua spes esset? Quis non videat Antichristum præ foribus esse, cum tam manifestos habeat apostolos? Accedit culpæ tantæ, quod etiam primitivæ ecclesiæ sanctos patres, quasi ignavos, rudes & synceritatis fidei ignorantes, insimulant illuminati nostrates. Quales primitiva ecclesia margaritarios habuerit, res ipsa indicat. Vnus capillus sanctorum priscorum, plus virtutis præ se tulit, quam nostratium anima & corpus. Empori prisci non verbis studuerunt Christianismo respondere, sed veritate: hoc est, opere: nostratium religio vnicè in verbis consummatur. Nostrates nihil Christi habere, immo etiam Christum penitus ignorare, vel indè videre est, quod nihil minus quam margaritas, de quibus hic mentio fit, attendunt: certo argumento, quod omnia quæ de Christo disputant, nihil est nisi cæci iudicium de colore. Cum Christo sanctorum millia: Christum sequuntur ij, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Aufer à Christo omnigenum virtutum exemplar, obedientiæ, humilitatis, castitatis, paupertatis, &c. & Antichristum constitues: aufer à Christo sanctorum coronam, & solem à firmamento cæli videbis segregatum. Vnio hic noster Christus polytimos est: hoc est, charus & preciosissi-

*Avarus
 Christianus
 duplex
 idololatra.*

*Euangelici
 fratres
 nihil
 habent
 euangelij.*

mus, quippe qui virtutem omnium in se continet, vires omnibus suas sufficit. sed & aliæ gemmæ sunt bonæ, ex hac ipsa bacca optima. S. Hieronymus per alias, accipit legem & prophetas. Marcioni & Manichæo legis contemptoribus, hic idem sanctus pater piè insultat. Insultat ergo & nostratibus, alias baccas non attendentibus. Vnicam gemmam eam, verbum Christi & veritatem exponit. Idem facit S. Hilarius, sed non adeo clarè. Chrysostomus & Theophylactus vnicam hanc margaritam, de veritate, quæ Christus ipse est, Ioan. 14. accipiunt. Iuxta hunc sensum & nos illas baccas non contemnimus, verum hanc vnicè apprehendimus. Iam superest, nè ante porcos eam proiciamus, Mat. 7. Granum hordei carnalibus huic præferunt. gemmarij & gnari negotiatores hac ita fruuntur, vt post hanc vitam eius virtute ad portas perueniant, quæ gemmis solis, auro item & argento resplendent, Apoc. 21.

Iterum simile est regnum calorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in carcerum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Tertium simile, iudicium Dei districtum nobis exhibet æstimandum. Faciunt euangelici nostrates hodiè viam ad regnum cælorum latam: eam verò quæ ducit ad perditionem, angustam. Hier. ca. 28. ad falsi prophetæ Ananiæ mendacia dixit, Amen. Ita & nos latitudini illi nouæ, *Hosianna* succlamitamus. Atqui Deus non irridetur, Gal. 6. Iudicium suum à domo sua incipit. Vix iustus saluabitur. Etiam electos ante tribunal Christi stare oportet, Ro. 14. 2. Cor. 5. Alludit huc parabola præsens. Piscatores hic partim significant apostolos & eorum successores, Mat. 4. Mare, mundus: rete, verbum Domini. Pisces sunt omne genus hominum. Piscatores etiam significant angelos, extremi potissimum temporis atque diei ministros. Sedere, & discernere bonos à malis, consentit cum eo, quod supra dictum est, angelos omnia scandala mundi eradicaturos. Neque enim hic rectoribus ecclesiæ mandatur, vt ipsi bonos à malis segregent, quod ipsis angelis, potissi-

*Iudicandum ante
tempus nõ
est.*

mum ipsi iudici, reseruat. Infra 25. Caterum neque hic
 auctoritas ligandi è medio aufertur, neque eleuatur con-
 tra hoc quod dicitur Mat. 16. 18. Ioan. 20. Certum est,
 malos super fore vsque in illū diem: incestu osū tamen
 Corinthium impune peccare non est passus: & Petrus Si-
 monem magum, Ananiam cum vxore sua Saphira: quo
 apostolorum exemplo, etiamnum scandalis, quantū fieri
 potest, occurrendum est. Errant, qui Cyprianum & Au-
 gust. contra Nouatianos disputantes, auctoritati huic
 derogare putant. Summa habet rete euangelicum bonos
 & malos vsque ad iudicem illum, cuius est omne iudici-
 um. Non vult ergo Apostolus, vt ante tempus iudice-
 mus, 1. Cor. 4. In domo magna, vasa tam honori quam
 cōtumeliæ inferuentia. Si quis igitur expurgarit semet-
 ipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatum, accom-
 modum vsibus Domini, ad omne opus bonum præpara-
 tum, 2. Tim. 2. Huc facit dictum vetus: Fac vt prædesti-
 neris, si non es prædestinatus. Viderint noui euangelici
 fratres, quo torqueant locum Apostoli Roman. 9. & 11.
 Sunt quidam in agro Dominico boni malis permisti.
 nam & in paruulo numero eorum, qui è Sodomitico in-
 teritu seruabantur, vxor Loth-periit. Et arca Noæ omne
 genus carnis habebat, etiam Cham patris turpitudinem
 irrisurum. Synagogæ Gabaonitas mistos nemo nescit.
 Sub Gedeone erant Abimelechitæ: quod tantum est, ac si
 diceres, sub Christo etiam esse Antichristos. Sunt sanè in
 ecclesia plures Azotici, suo Dagon arcam Dei associan-
 tes. Atque hæc de piscibus bonis & malis. Omnigeni pi-
 sces, omnigeni Christiani, boni & mali. Sunt boni, sunt
 mediocres, sunt mali plurimi. Bonus est bonæ volunta-
 ris homo, diligens dies videre bonos, coercens linguam
 suam à malo, nec faciens dolum proximo suo, Psalm. 33.
 Chrysostronus hoc loco vehementer disputat contra
 eos, qui solam fidem ad iustificationem sufficere arbi-
 trantur. De horribilissima inferni pœna, quam Domi-
 nus in hoc capite bis tangit, vide similia Luc. 16. Matth.
 25. Item Matth. 3. Esa. 66. Hieronymus super Prouer-
 biorum caput decimum tertium, duo dicit esse genera
 tormentorum inferni, frigus & æstus, iuxta hoc ver-
 bum Domini: Ibi erit gemitus & stridor dentium.

*Ecclesia
 militans
 tã bonos
 quam ma-
 los habet*

Vtrunque item apud Matt. 22. vides esse in tenebris exterioribus. De igne infernali, hoc Pauli obseruandum, 2. Theff. 1. vbi ait: Et reuelabitur Dominus Iesus de cælo, cum angelis potētiae suæ, cum incendio flammę, qui infligit vltionem his, qui non nouerunt Deum, & qui nō obediunt Euangelio. Vasa hic vocantur māñones & æterna tabernacula, quę alibi vocantur horrea, Lu. 16.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: t deo omnis scriba doctus in regno cælorū. similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Vult seruator, vt audiamus & intelligamus. Facit huc 1. Cor. 14. Matthæi quinto. clamat & exhortatur, vt audiamus & intelligamus. Verum est prouerbiū: Qui legit & non intelligit, tempus negligit. Idem & de auditu, non intellectu, verum est. Dicūt Apostoli: Ita Domine. Idem quisque magister à suis discipulis poscat. Non sufficit dicere, Etiam Domine, vt sanctimonie simulator ille verbosus apud Lucam cap. 18. Item inobediens ille filius, 19. Mulier Cananæa ex animo est locuta, Matth. 15. Et Petrus, Ioan. 21. Deus probat corda & renes. Vidēs Christus suorum profectum discipulorum, ea quę parabolice docuit, simili modo propemodum concludit, dicēs: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, &c. Locupleti patrifamilias confert scribas. Beatus siue opulentus paterfamilias, horna & vetera coaceruata seruat. Promptuaria eius plena ex hoc in hoc. Quidquid vsus postularit, sibi ante parauit. Sic & scribas suos Christus vult vtrunque, nouum nimirum & vetus, semper habere in expedito. Iudaici Sophrę vnum saltem curant in promptu habere, puta vetus testamentum. Mosaicę literæ ita sunt connexi atque affixi, vt altius caput exerere nequeant. Vult ergo Christus suos Iudaicis Rabinis perfectiores esse. Vult & ethnicis philosophis eosdem esse acutiores, quippe qui arcana Dei verè queāt indagare: sensum ergo illis dar ad scripturarum profunditatem adsequendam. Euangelion complectitur noua simul & vetera. Est enim virtus Dci ad iustitiam omni credenti, Rom. 1. per quod saluamur, 1. Cor. 15. Est enim planè non hominis, ne quidem Christi, sed Dei verbum, Ioan. 7. Hoc intellectu, facit idio-

*Scribam
euangeli-
cum noua
& vetera
possidere
oportet.*

tas vel ipsis Rabinis doctiores. Est enim ipsa clavis Dauid. Ioan. 5. dicitur Moses de Christo dare testimonium: quod non solum intelligendum est de Deutero. 18. loco, sed de omnibus oraculis & figuris, quorum libri Moses pleni sunt. Huiusmodi testimonia qui nō recipit, Christianus non est, sed Marcionista & Manichæus. Iudæi saltem vetus recipiunt, sed carnaliter planè. Manichæi & Marcionistæ nouum testamentum saltem probant, haud dissimili vesania, eradendo omnia quæ ad sacrosanctam Christi humanitatem pertineat. Debet ergo vtrunque legi, interpretarique, cum in scholiis tam in ecclesiis. Hic linguarum peritia ecclesiam opus habere videmus. Hic etiam videmus ecclesiam opus habere Catholicæ intelligentiæ & sensus studiosos: nam sine huius peritia, linguarum intelligentia crassissimas hæreses inducere & comminisci poterit.

Proferre, verbū, proximè cum Græco consentit. Promere debet opulentus paterfamilias noua itidem & vetera. Largus itidem debet esse scriba, euangelicus, vtrunque instrumentum diligenter excutiendo, vt alterū per alterum illustret, stabiliatque, Ioan. 5. Atque hæc adlectionem euangelicam. Nunc ad commemorationem sanctæ Annæ veniens, dico etiam eam commemorationem simili modo esse exponendam. Anna regiæ stirpis, Dauidicæ nimirum, filia, religiosè educata, timens Dei & in legis iustificationibus approbata: digna Deo habita, quæ in sui filij auiam eligeretur. Huic virtutum tantarum mulieri, Dei prouidentia datus est coniunx omnigena grauitate probatissimus, nomine Ioachim: quod vel ex Luca euangelista sit cognobile, cap. 3. Genealogiam Christi recitabo, nomina ad dialectum Hebraicam expressurus. Hæc est prosapia Mariæ virginis, de qua Christus filius Dei est homo factus. Adam, Seth, Enos, Cainan, Mahaleel, Jared, Hanoth, Mathuselach, Lamech, Noa, Sem, Arphachsad, Sala, Heber, Peleg, Reu, Serug, Nahor, Tharah, Abraham, Iizhak, Iacob, Iehuda, Perez, Hezron, Ram, Aminadab, Naschon, Salma, Boaz, Obed, Ischah, Dauid, Schlomo, Rehabeam, Abiia, Afa, Iehoschaphat, Ioram, Ahaz, Hizkiabu, * Mnasse, Amon, Ioschiuhu, Iechonia, Sealthiel, Zerubabel, Re-

*Anne
Christiana
na. Maria
mâtris præ
dicatio.*

sa, Iohanan, Iehuda, Ioseph, Semai, Mathathia, Maoth, Nagid, Hefli, Nahum, Amos, Matthathi, Ioseph, Iane, Malki, Leni, Mathath, Iehoiakim, Miriam, siue Maria. Hi sunt maiores nostri seruatoris, secundum humanitatem. Vides secundum Lucam Christi auum esse Ioachim, qui aliàs dicitur Eli, & quem Philo vocat Eliakim. Videat sacerdos quæ præterea scribat de S. Annæ profapia sanctus Hieronymus, Damascenus, & alij. Verus est Deus, veritas est ipse Deus, quod per Mosen & prophetas promisit, hoc per S. Annæ filiam recepimus. Faxit Deus, deuota mente religiosèque hoc ipsum custodiamus, in suam solius gloriam, qui vnus Deus viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

DE SANCTA ANNA.

Matthæi 13.

Simile est regnum calorum thesauro, &c.

¶ Sectio.

- 1 *Thesaurus & margaritum, Christus: sagena Christi verbi.*
- 2 *Ager, est liber generationis Iesu Christi.*
- 3 *Inuenitur thesaurus quaesitus.*
- 4 *Seruatur absconditus.*

¶ DECLARATIO.

1 *Simile est regnum calorum thesauro, &c. Colossen. 2. in quo sunt omnes thesauri sapientie & scientie Dei absconditi. Pro- uerbiorum 8. Vt ditem diligentes me Sapient. septimo. Omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, &c. Eccle. primo. Omnè domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris eius. Item: In thesauris sapientie intellectus & scientie religiositas. Est sua virtus auro & argento, gemmis & lapillis. Omnia in Christo. Tertullianus dicit nasci margaritum in concha maris, sese aperiente, & solis calorem concipiente, tandem ex rore celesti indurato in concha, fieri gemmam. Sic natus Christus virtute spiritus sancti, præbente suam voluntatem casta & fidei virgine Maria. Esa. 45. Rorate celi desuper, & nubes pluant, & cetera. Sagenam significare Christi verbum, vides in alijs parabolis, & historijs mysticis, Matth. 4. Marc. primo. Luc. 5. Ioan. 21.*

2 *Abscondito in agro, &c. Mystera Christi incarnationis aperuit nobis spiritus sanctus. Multi reges voluerunt ea videre & audire, nec id datum fuit illis. Omnia patribus contigerunt,*

1. *Corin.* 10. *Isaac Abrahæ semen, Christum significat. Roma.* 4. *Gala.* 3. *Act.* 3. *Semen David Salomon, significat Christum, Roma.* 1. 2. *Timo.* 2. *Ioseph typus Christi, Iosue, denique Cyrus, &c.*

3 *Quem qui inuenit, &c. Abraham & David quasiuerunt thesaurum, & inuenerunt. Quæsitæ inueniuntur. Querimus industria, reperimus casu. Ioseph, Iosue, & omnes qui Christi typum retulerunt, insignes extiterunt virtutibus. Etiam Cyrus, vnde commendetur posteritati, merita habuit. Ex Maria virgine idem etiam discas: Item ex Iosepho, qui non laudatur in scriptura frivole & temerè. Denique Ioannes, Simeon, Anna, meritis religionis meruerunt Christo sociari. Quanta ergo credamus merita fuisse sanctæ Annæ, quæ meruit auia esse Christi, & tot piscatorum, Iacobi, Ioannis, Alphæi, item Iacobi & Thaddæi, item Simonis & Iosephi Iudæi auia? Piscatores sunt, quorum meminit Hier. 19. Ecce ego mitto ad vos piscatores multos. Thesaurus virtutibus praxios inuentus, virtute theorios (id est, humili contemplatione) seruatur. Emitur item thesaurus humilitate. *Philip.* 3. *Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Abnegatione suisip-sius emitur, & sic etiam seruatur.**

4 *Abscondit, &c. Quis se maior aliquis in hoc mundo plus humiliat, hoc post mortem plus est exaltandus. Educere & secus litus sedere, pertinet ad iudicium Christi. Sed interim laudandi boni, reprobandi mali. Horum pœna, illorum gloriam arguit.*

Epistola & Euangelium de festo ad vincula Petri, quærantur superius, in festo SS. Petri & Pauli.

IN FESTO ASSVMPTIONIS GLORIOSISSIMÆ VIRGINIS Mariæ, episto. lectio Eccle. 24.

IN omnibus requiem quæsiui, & in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium &c.

P R A E F A T I O.

Iosue siue Iesus filius Sirac, hunc librum proculdubio edidit, vt in ecclesiis sanctorum identidem cum aliis authenticis & hagiographis legeretur: vnde etiam à Catholicis Ecclesiasticus, hoc est, concionatorius appellatur. Apparet Hebraicè esse scriptum: primum hoc arguit author ipse, qui Hebræus fuit: alterum argumentum est, quòd liber Hebraïsmis scateat. Nos verò contenti sumus exéplari Græco, quod adhuc extat

Libri Ecclesiastici comédatio

Salomon, Philo & Iosue non sunt saltem philosophati, mores formando, sed & religionem veram & sanam fidem tradendo, sunt concionati: & mysteria salutis humanæ schematibus certis adumbrando, etiam sunt vaticinati, Digni ergo qui & legantur, & memoriæ cōmendentur. Filius Sirac hic sōphiam celebrat vt qui profundiſimè. Profundiſſima & immenſa ea ſōphia, de qua in præſentiarum dicitur, frigidè prædicari non debuit.

*Liber Ec-
cleſiaſtic
etiã liber
ſapientia
dici pote-
rit.*

*Chriſtus
iſſiſſima
eſt ſapientia.*

*Chriſtus
clavis eſt*

*Enlogium
ſapientia di-
uina, etiã
poſteſt acci-
pi de Dei-
para virgi-
ne glorio-
ſa.*

Librum ipſum etiã ab eius cōmendatione orditur. Vnde etiam liber ſapientiæ dicitur, quippe capite libri titulum ipſum exprimente. Salomonis quoque liber ſtatim ſophiam celebrat, vnde etiam eius nomen meretur. ſed quoniam prima diſtictio libri parabole, hoc eſt, prouerbia, exiſtit, Prouerbiorum librũ appellare vſus maluit. Apud Cyprianum lib. 2. contra Iudeos, vides Salomonem de Chriſto ænigmaticos eſſe locutum. Chriſtus ipſiſſima Dei ſapientia, quia conſiliarius, quia angelus magni cōſilij. Idem vides apud S. Ambroſium offi. lib. 1. cap. 46. Item apud S. Auguſtinum epiſt. 49. quæſt. quinta. In lib. ſapientiæ cap. 10. etiam vides encomion eius ſapientiæ mirificum, de qua re audiuit veſtra charitas in natali ſancti Nicolai. Inferimus hic etiam ea, quæ in hoc libro de ſapientia dicentur, intel- ligenda eſſe de verbo eo, quo cælum & terra eſt creata, Ioan. primo. Tale myſterium plerique etiam ethnici per vmbraſ aliquam viderũt, ſed longè craſſiori quàm Iudæi. Elegit Iſraelem, qui niſi repuliſſet incarnatum ipſum perpetuò poſſediſſet, Acto. decimo tertio. Iſrael electus populus fuit, cui *τὸ λόγιον*, id eſt, eloquia Dei crederentur, Roma. 3. Pſalm. 147. Audiſtis verbum eſſe filium Dei. Creditis hoc ipſum verbum incarnatum, id- que ex pura virgine Maria? Quid ergo veter, quo minus etiam verbi encomion anagoricè de Maria virgine deipara, verbigenaque electa atque aded digniſſima intelligatur? Non quod mater ipſa pro æterna ſophia adoranda ſit, ſed quod propter ſapientiã eam quam nobis incarnatam ptulit, ſupra omnem creaturã digniſſima laude ſit habenda. Mariæ filius eſt ſapientia Dei, Luc. 11. nobis à Deo conſeſſa. 1. Corint. 1. Merito ergo matrè, per quam talis nobis felicitas contigit, amamus, colimus, atque

atque in cælum laude assidua extollimus. Nunc ad
textum:

In omnibus requiem quaesivi, & in hereditate Domini mora *Sapientia*
bor. Rhetoricū schema fictæ personæ hic obserua, qua- *Dei, regi-*
le etiam habuimus in natali S. Ioannis apustoli. Induci- *nae apte cõ-*
tur sapientia Dei æterna ea hic, quasi ipsa nos alloqua- *fertur.*
tur atque erudiat. Inducitur verò non inuili atque con-
tempta aliqua persona, sed pro decoro artificioso, indu-
citur tanquàm regina augustissima. Reginæ eius maie-
statem quis assequatur, quæ cum in principio diceret, se-
cit dicendo, vt omnia fierent? Dixit, & facta sunt: mane-
dauit, & creata sunt, Sap. 9. Psal. 32. &c. Tanta ac talis Re-
gina quæ ex ore Dei prodit, quæ cum Deo est, & quæ
Deus ipse est, non vbiuis vult morari. Interest inter au-
lam & caulam, inter aram & haram. Deliciæ quidem *Sapientia*
Dei sapientiæ, esse cum hominibus, sed non cum omni- *Dei, deli-*
bus. Iacob elegit, Esau verò odio habuit. Odit discipli- *cie sunt,*
nam fictam. Cainum necem fratri meditantem abomi- *esse cõ ho-*
natur. Simplicem Abelum, nihil mali suspicantem, fra- *minibus,*
tris verbis acquiescentem, amplectebatur. Sic etiam ido- *sed non cõ*
lollatras & sanguinarios ethnicos auersabatur, Iudæos *omnibus.*
verò, sanctorum patrum sanctum germen, elegit. Vides
timentes Dei esse hereditatem Dei. In fide perpetua De-
us eligit. Nemo hic dubitet, saltem in Dei timore per-
maneat. Qui tenet, teneat. Hunc locum sequentia eluci-
dabunt. ad sequentia igitur progrediamur.

Tunc precepit & dixit mihi creator omnium: & qui creauit
me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inha-
bita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices.
Quæ suprà dixit, hic elucidat. Sapientia dicit, Patrem si- *Sapientia*
bi peculiarem gentem elegisse Abrahami semen. dicit *Dei pecu-*
itaque sapientiæ incarnatæ mater: Sicut iurauit Abra- *liarẽ sibi*
ham & semini eius in secula. Iuramentum significat fi- *gentem e-*
dei stabilitatem. fidelis Deus, fœdus suum irritum non *legit.*
facit. Populum ergò electum hereditatem sibi vendi- *Filiũ in*
cat. Obserua. Sapientiam æternam hic humano more *equalẽ ef-*
loqui. Præcepit mihi. Item, qui omnia creauit &c. Arria *se patri,*
nistæ simplici columbellæ ecclesiæ acquiescere recusauit *Arriani*
tes hic sua culpa impeerunt, putantes filium minorem *stã docent;*
patre. Simile offendiculum etiam illis fuit Pro. 8. vbi eam *scriptura*

*male intel-
lecta.*

*Spiritum
sanctum
Macedo-
nia ne-
gans, scri-
ptura ma-
le intel-
lecta sedu-
ctus.*

dem dictionem in Græco *κτιστος*, quæ hic habetur, of-
fenderūt. Hebraica veritas hic requisita, rem dilucidat.
Habet illa *Kanani*, hoc est, possedit me, & non, creauit.
Canani hoc Hebræū, si quis Arrianista nos vrgeat, nos
pro *κτιστος* apprehendemus, dicemus Iosue Siracidē p-
culdubiō in Hebræo posuisse *Canani*, cūm appareat Sa-
lomonem esse fecutum. Versio *κτιστος* siue *κτιστος*, deside-
rat simplicem oculum. Sublimis oculus in hac dictione
offendetur. Scriptura per se clara, sed oculo cæcutienti
obscura non esse non potest. Væ ergo hæreticis cæcis,
ducatum lucernę accensę in ecclesia respuentibus. Tri-
nitatai; hæretici Amos 4. quoq; ansam errandi & præ-
cipitium reperere, creans spiritum. Hoc loco reperto,
statim se cæteris sapientiores, ipsamq; sapientiam ar-
bitrantes, clamitauerūt spiritum sanctum esse creaturā.
Sed fulmine Origenis & Baslij Gigantes hi in tartara
sunt præcipitati. Sapientiam verò Dei increatam & eter-
nam hic prædicari, testis inter alios præcipuus est & Cy-
prianus lib. 2. contra Iudæos. Item Augustinus libro 1.
cap. 34. De doctrina Christiana. Sapientia etiam ante-
quàm incarnata esset, tanquàm iam incarnata sit, hic &
alibi loquitur. Prophetica phrasis certitudinem & prò-
ptitudinem explicat. David fidelis seruus, patri suo fa-
ctus est obediens vsque ad mortem, Philip. 2. Dicit ita-
que, Pater maior me est, Ioan. 14. Atqui idem etiã dicit,
Pater & ego vnum sumus, Ioan. 10. Qui creauit vel ge-
nuit me, ait, requieuit item in tabernaculo meo. Vel,
Creator omnium dedit mihi mandatum: & qui creauit
me, scenam, tabernaculum, vel tentorium mihi tetendit.
Germanicè, Do besal mir der schepffer aller ding vnd
der mich geschaffen hat schlug mir ein gezelt auff. At-
qui saltem in Iacob tetendit atque in Israel, hoc est, in
sanctorum progeneratione. Duo hæc nomina, in scrip-
tura identidem sibi cohærent. Numeri nimirum cap. 23.
& Psal. 13. & alibi frequenter: Deum Iacob & Israel sibi
elegisse in hæreditatem, item vides Psal. 134. Deum per
iuramentum Abrahamo & progeniei eius se peculiare
custodem obtulisse, vides Gene. 17. Non iniuria igitur,
neque absurdè Moses populum eum cæteris adeò præ-
fert in multis locis: præcipuè verò Deu. 4. vbi ait: Quis

est populus &c. Quid quodd & ipse Deus se Deū Abrahæ, Isaac & Iacob appellat: Exod. 3. Mat. 22. Act. 7. &c. Non verò hic carnem Abrahæ attende, sed fidē & religionē, Ro. 3. &c. Ethnici ergò vel ex lapidibus Abrahæ progenies facti, Deo in veritate & sanctitate seruiunt, quod Iudæos degeneres adedò torquet, Rom. 10. Act. 13.

Ab initio & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam. Ecce infelix Arri. Suprà dixit, Creauit me: hic quoque idem dicit, sed non simpliciter. Magna hic loquitur maiestate, nempe ea quæ solius Dei est. Deus æternus, ab æternitate verbum genuit. Parùm refert, dicas, protulit, creauit, formauit. Sensus est: In principio erat verbum, Ioan. 1. Non creatura est æterna sed æternus est creator. Si ergò verbum fuit ab initio & ante secula, vides verbum esse Deum. Quòd si sapientia ita, vt aliæ creaturæ, esset formata, genita, atque edita, ab initio esse siue creari non potuit. Quòd verò ab æterno fuerit non creata atque formata, quemadmodum aliæ creaturæ, sed quòd extiterit ab æterno, Deus verò de Deo genitus, patet in sequenti periodo: Et vsque ad futurum seculum non desinam. Desinit, quidquid incepit: manet in æternum solùm, quod esse non cœpit. Vndè nihil est æternum nisi solus Deus. Magna fiducia est verbi, cum dicat, Vsque ad futurum seculum non desinam. Sed canonicus liber Salomonis Prou. 8. scrupulum hunc potenter dissoluit, vbi pro eo quod Græci legunt, *ἔκτισται* Hebræa veritas habet, *Canani*. Sapientia vt ab æterno fuit, ita etiam in æternum erit. nulla eclipsis huc repet. Non desinet, neque detrimentum patietur, nec cõminuetur, vt *ἔως* hic accipiatur, perindè atque Gene. 8. & Mat. 1.

Et in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Redit hic ad hoc, quod suprà tetigit de requie, hoc est, de loco, de habitatione, siue de mansionem electa. Ad mansionem eam se peruenisse in hoc mundo, fatetur. Ab initio & ante secula genitus ex Deo Deus. Deus per vocem audibilem,

*Sapientia
ab initio
esse creatã
vt intelli-
gas.*

*Israel præ
destinatus*

*Israel ta-
bernaculū
martyrij.*

perq; visiones & ænigmata se electis in hoc mundo de-
clarauit. Prædestinationis hoc gratia datum præcipuè I-
sraeli. Venit itaq; ex prædestinatione atque adeò ex præ-
scripto, atque in *Ohel moed* sedit. *Ohel moed* Græci vertūt,
Scena martyrij, hoc est, tabernaculum testimonij. Sunt
qui reddant, tentorium congregationis, Das gezelt der
versammlung quod ingeniosus Bezaleel ille confecit E-

*Sapientia
Dei De^o,
in taberna-
culis Deo
ministra-
uit, & in
Sion re-
gnauit.*

xo. 31. Leiturgos siue ministra Dei sapientia, in istoc ta-
bernaculo Deum obsequio pio coluit, Israelem erudi-
endo, tandem Sione potita, in Solyimis aliquanto præ-
sentiū cultum eum prosequabatur. Quippe tunc pro
scena constructa est basilica. Psal. 131. Hoc sibi contex-
tus hic vult, qui *Ohel*, hoc est, tabernacula, quadraginta
annorum peregrinationem interpretatur. In ea quoque
peregrinatione regnauit Dei sapientia. Neque enim ci-
tra Dei præscriptum, quid vel præstarent vel omitterēt,
norant. Dauid itaque ait, præceptum Domini esse re-
ctum, & dare sapientiam imprudentibus, Psal. 18. Facit
huc quòd eo tempore, quo Israel in tabernaculis degit,
legem acceperit. Rectè ergò verbum dicitur in taberna-
culis quoque Deo ministrasse. Tandem verò terrā Cha-
naan potitam, sese in Sion ait esse confirmatam. Terra
illa mel & lac manare dicitur, quòd præ cæteris mundi
huius finibus, fertilis sit & fœcunda: vt videas, sapientiam
suis cultoribus etiam huius vitæ præmia subiicere.

*Sapientia
se honorifi-
cantes, ho-
norificat.*

Quod tamen futurorum est mysterium, quanquam hoc
noui euangelici fratres, Iouinianistæ veteres, negent.
Hierusalem dicta est chara & accepta ciuitas, regia &
aula Dei, Esa. 56. Simile vides Matt. 5. Hic sapientiæ vi-
des maiestatem & potentiam, quia hic sacerdotes, reges
& prophete. Qui sophiam honorat, honorabitur, quod
vides in populo Israelitico, qui in mirum modum præ
cæteris gentibus est magnificatus. Meminit eius rei Apo-
stolus, Rom. 9. dicens: Quorum est adoptio, & gloria &
testamentā, & legis constitutio, & cultus, & promissio-
nes, quorum sunt patres & hi ex quibus Christus, quan-
tū attinet ad carnē, qui est in omnibus laudandus De-
us in secula. Amen. Apud præclarū eum populum sapi-
entia æterna radices egit, populum ipsum sanctificans,
atque hæreditatem Dei statuens, Psal. 17. 78. Nunc quo-

que hæreditas Dei sunt gentes, Psalm. 2. Vides tempus gratiæ, tempus incarnationis verbi: vides cælos rorare desuper, & nubes pluere iustum.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. Audistis sapientiam in populo sanctificato requiem sibi inuenisse, etiam tum cum adhuc ageret in tentoriis, & tum quoque, cum in terra Chanaan oppida & vrbes conderet. Audistis, populum Israeliticum sapientiæ Dei beneficio, summa honoris opinione præ cæteris gentibus celebrem exitisse in vniuerso orbe terrarum, adeo vt multi reges & prophætæ ex longinquis regionibus Solymas venirent, sapientiæ eius audiendæ gratia. Præcipuè verò eius loci exemplum est regina Saba, reginæ † Candace eunuchus, &c. Vides hic, gloriam eam populi, redundare ad gloriam sapientiæ Dei. Facit ad hoc quod hic dicitur, Sicut cedrum se exaltatam in Libano, & quasi cypressum sublimatam in Hermon. Libanus Hebraicè dicitur *Lebanon*, ex thuris ibi copiosè prouenientis nomine. Arbor ea celsa excrefcit in Syrophœnicia, 3. Reg. 5. Tam arboris quàm loci, vbi felicius prouenit, mentio fit Esa. 2. Psalm. 28. Ezech. 27. Dein dicit se æquare & referre cypressam in monte Hermon. Cypressus quoque inter alias arbores præcipuè caput suum exerit, quod etiam inuenias ita apud poëtas. De hac arbore etiã dicitur Ecc. quinquagesimo. Septuaginta hic legunt Aërmon, vbi nos legimus Hermon, siue (vt alij habent) Sion. Græci etiam Cant. 4. pro Hermon legunt * Aërmon. Videre videor, alios Hermon pro Sion legere, ex Dauide qui ait, Ros Sion affcèdit in Hermon. Amœnus & felix mons Hermon, æquè atque mons *Lebanon*, Vterque situs prope Iordanem, à quo fecundantur.

Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rose in Hiericho. Pergit se commendare diuina Sapiencia, & declarare suam esse omnem omnium gloriam. Dicitur ergò rex gloriæ, qui nos sua gloria infrenauit omnes. Mansio Israelis in deserto, ea quæ dicitur Elim, duodecim habet fontes viuos & lympidos, circum quos palmarum copiam vides natam, Exod. 16. Iuxta Hiericho tanta felicitate palmæ proueniebant, vt ciuitas indè per

periphrasin Ciuitas palmarum dicatur, Deuteron. 34. Iosue itaque Siracus palmarum Cades mentionem faciens, etiam Hiericho inducit. Ex palmarum altitudine similitudinem accipit Sapiens Cant. 7. Hiericho item balsamos habuit frequentes, vnde ab odore optimo eo ciuitas ea nomen suum hoc ipsum acceperit. Aroma hoc, in præfenti loco per rosarum nomen exprimitur, quanquam & rosarum ibi præstantiam & copiam prouenisse verisimile existat. Sunt qui legant palma Gaddi, pro Cades est locus in deserto, vbi fons erat iudicij, & vbi Maria soror Moïsis est sepulta. fortè & circa fontem eum palmæ nascuntur, Num. decimotertio, Deute. trigesimo secundo. Gaddi adèd celebris non est, nisi fortè sit illa, vnde Gadditani Buni originem duxerunt, 2. Regum vigesimotertio. Fortè est Engaddi (vt *Engaddi vna sit dictio*) quod Hieronymus nobilitat. Dicit pagum esse amœnum vbi balsamus prouenit. Crediderim etiam Plinium huius meminisse lib. 5. cap. 7. de Engadda scribentem. Et Solinum capit. 38. vbi scribit, Engadda oppidum, sed excisum, & c. laudatur à syluis palmarum.

Cades, locus celebris est in deserto.

Quasi olea speciosa in capis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Præcipuè nobilitatis etiam hic audis arboribus se conferre Sapientiam cælestem, in eodem sensu, de quo tum est dictum, nempe, Beatotum gloriam redundare in gloriam Dei. De olea multum passim agit scriptura. Israellem potissimum oleam vocat, & alias gentes oleastrum Apostolus. De monte oliuarum inuenias in passione Dominica. De oliuo oleo non est opus discernendi, cum eius vsus satis sit cognitus. De arbore ea sculpti sunt duo Cherubim, 3. Regum 6. De arboris huius vbertate vide Psal. 51. Hiere. 11. De

Beatotum gloria elucida gloria Dei.

Platanus apud Pliniam celebris arbor, adèd vt irvigata sit vino.

platanus Plinius mirabilia scribit, nempe maximis impensis translatam eam esse in Italiam propter umbram, quam præ aliis arboribus præbet magis opacam. Homines leguntur umbram eam precio emisse. In tanto precio est habita, vt eius radices vino irrigatæ esse legantur. Præcipuè hoc de arbore ea memoratu dignum cõemorat Plinius, q̃ in æstate solè arcer, in hyeme verò allicit ad se. Infra & super arborem eam maiores conuiuia celebrare solebant. Vide Plinium lib. 12. capit. 1.

Alibi etiam de latitudine huius arboris foliorum agit. Cedrum ait folia habere lanuginosa, cypressum crassa, palmam duplicata, plantanum vero lata, lib. 16. cap. 25. Hebræi vocant *Armon*, sed de eius arboris significatione est contentio. Alij Genes. 30. *Armonim* vocant castaneam. Idem faciunt Ezech. 31. Vnus repertus omnium, qui amygdalum vertit. Dasypodius dicit esse Ahorn. Idem facit Murmellius. Nos accipimus de arbore, quæ Græcis est in fyluis pulcherrima.

Sicut cinamomum & balsamum aromatizans, odorem delli: quasi myrrha electa, dedit suavitatem odoris.

Humiliat se altitudo propter nos.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Cedrus, cypressus, palma, rosæ Hierichuntinæ, olea, plantanus, nequaquam eminentiam Sapientiæ Dei exprimunt atque adsequuntur. Tamen eo modo scriptura sacra agit, quo & aliæ literæ prophanæ. Virgilius ait:

Quantum lenta solent inter viburna cypressi, &c.

Laborat eloquium nostrum & deficit in elocutione rerum diuinarum: quod miraculi loco non est habendum, cum etiam mens humana tantarum rerum capax non sit. Sed creaturæ, sol, luna, maris stella, & hoc genus alia, non stræ succurrunt infirmitati. Tyrannos etiam scriptura, per arbores, superbos explicat, nempe Pharaonem & Assur Ezech. 31. Secundum eum modum loquendi Sapientia diuina sese benignissime nostro attemperat captui. Hic tria ponit: Cinamomum, Balsamum siue Aspaltum, & myrrham. Aromaticæ sunt arbores. Forte commodus est nomina arborum earundem recensere. † *Cinamomus* etiam in Hebræis ita vocatur. *Ahaleth* vocant a-

*Sapientia diuina al-
tando ca-
pit in nostro
sefe attem-
perat.*

loë, *Mor* myrrham, *Cetzioth* cassiam, quam etiam *Cidda* vocant, quod plerique zinziber esse putant. *Cane* vocant calamum, † *Zteri* resinam, quam Septuaginta vertunt rētinam. *Lot* stacte, quod etiam Septuaginta interpretibus receptum est vocabulum. Species hæ item conficiunt misturam aromaticam, quod condimenti genus Hebræi vocant *Sanim*. Plinius ferè omnia profèquitur, lib. 12. addens amomum, cardamomum, nardum, mastichen, galbanum, thus, panace. De balsamo sic ait: Omnibus odoribus præfertur balsamum, vni terrarum Iudææ con-

cessum. De myrrha alibi. Plinius ait cinamomum provenire in Aethiopia, stirpem habere subnigrum, duorum circiter cubitorum, &c. De aspalato ait: Per Hispanias quidem multi, & inter odores & ad vnguenta vtuntur illa spina, aspalatum vocantes, lib. 24. cap. 13. Parum retulerit, arborum earum nomina Germanis non constant, cum etiam arbores ipsæ nostræ religioni sint negatæ. Benedictus Deus, qui nobis sapientiam ipsam, quæ omnium earum arborum virtutem refert, concessit. Ipsam colamus, & nos quoque colet. Nam qui coluere, colentur, Amen.

IN FESTIVITATE ASSUMPTIONIS
S. Mariæ, Euangelium, Luc. 10.

Factum est dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum, &c.

P R A E F A T I O.

DE mulieribus hæc duabus, Christo dilectissimis, videmus item Ioan. 11. vbi harum frater quidam Lazarus nomine fuisse dicitur. Lazarus ibi præcipuè Christi amicus vocatur. Item ibidem Maria soror Lazari dicitur pedes dominicos vnxisse, & capillis extersisse: quod facit, vt quidam Magdalenam hanc Mariam arbitrentur exitisse Luc. 7. Cyrillus hoc ipsum negans, dicit fuisse Magdalenâ Galilæam quandam. Evangelista Ioannes dicit, Sorera singulari fauore profecutum Lazaron cum sororibus suis duabus. Christum & sorores has vicissim vehementer amauisse, vel inde constat, quod hospitio eum excepere, & omnibus humanitatis officii profecutæ sunt, iuxta hoc quod Ioannes ait, non amandum esse verbis saltem. Sic & eas vicissim amavit re & veritate Christus. vnde & amicum suum Lazaron, morti ereptum, vitæ restituit. Et amoris certum indicium est, quod ad hæc sorores diuertere est dignatus. Locum euangelicum præsentem prius tractabimus, inde occasionem accipientes dicendi de assumptione gloriosissimæ virginis Mariæ.

Factum est dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum.
Sic peragravit Christus omnem regionem eam vltro citroque, à tricesimo suæ ætatis anno vsque ad tricesimum tertium atque dimidium: iuxta rationem atque supputa-

tionem eam, quæ est apud Daniele cap. 9. Non vni oppidulo docendo & curando infirmos, sed pluribus voluit prodesse, quod ipse fatetur Luc. 4. Rectè bonus pastor impigrè greges suos visitauit *ἰσιτῆρῶν*, hoc est, benefaciendo, vt ait Petrus ad Cornelium. Verbum hoc, *ἰσιτῆρῶν*, summa est totius peregrinationis Iesu. Hodæporicum salutare, quo visitauit nos Soter Dei salutare. Euergesia, id est, beneficentia, causa peregrinationis Iesu. Huius rei fide dignos habet testes, duodecim apostolos & magnam discipulorum turmam. Sanctissimi duccis, sancti comites. Oppidulum hoc, de quo hic dicitur, Bethania proculdubio extitit, quinquaginta stadiis ab Hierosolymis distans: Ibi Lazarus cum suis fororibus habitabant. Et Euangelista Ioannes castellum vocat capite 11. S. Hieronymus commemorat suis temporibus Bethaniæ templum extitisse, sepulchrum Lazari ostendens.

Beneficentia, causa fuit Christi peregrinationu.

Et mulier quadam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Euangelista hic noster, Ioanni Lazaron harum sororum germanum relinquit, Lazari vero alterius mentionem facit ca. 16. Martha hic tanquam materfamilias describitur, fortè quia maior erat natu. prædicatur ab hospitalitatis officio, quod in scriptura admodum est celebre. Gene. 18. Abraham excepit hospitio angelos. Itidem fecit & Loth, ibidem 19. De vtriusque hospitalitate vide Apostolum Heb. 13. Laban hospitio excepit seruum Abrahamæ, Ragucl Mosen Exo. 2. Vidua Sareptana Heliam, mulier Sunamitis Helisæum, 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Opus hoc planè est episcopale, nedum viduale. Vtrunque perstringit Apostolus 1. Tim. 3. 5. Euangelici nostrates, qui alioqui Paulum Paulum subindè succlamitant, pecuniæ student: de virtute hac viderint dii. Opulenti item euangelici non sunt in vocando pauperes. Cæterum in concipiendis diuitibus sunt impigri, vt antapodoma, hoc est, vicissitudo officiorum celebretur. Luc. 14. antapodoma hoc describitur diuitum, qui se vicissim inuitant, & crebra conuiuia ineunt. Finem item nepotum istiusmodi describit cap. 16. Delicatulii nostrates purpurati, ægre ferunt, si Christi præcones huiusmodi cacoëthes taxent, cum tamen etiam ethnicis, quod apud Iuuenalem vide-

Hospitalitas præcipua virtus Christianorū.

mus, conuiuandi abusus ille fuerit habitus vitiosus. Nos prædicamus Martham, alteram Sareptanam & Sunamitidem, ædes suas in xenodochium conuertentem, auscultantem Esa. 58. Præcipue propter officia erga Christum, poterit domus eius dici *ἡσὸς τοῦ Χριστοῦ*. Et hodie quorumlibet pauperum Christianorum hospitia, ita dici possunt. Quidquid enim vni ex minimis fidelium præstamus, ipsi Christo hoc ipsum facimus, Matth. 10. 25. Habet Martha hoc in officio colligas, Ioannam vxorem Chuse, Susannam, & alias. In nouo testamento plures habet sorores, Dorcada nimirum, cuius celebris mentio fit in Actis apostolorum. Eumiam filiam Rhetoris, de qua Eusebius. Paulam, eam quæ etiam Psalterium Hebraicè recitare poterat. Marcellam, cuius Hieronymus meminit, &c. Dubium non est, quin Martha quoque in lege optimè fuerit instituta, adeo vt non iniuria possit quoquè sapientibus mulieribus conferri, vt potè illi à Thecua, & illi ab Abela, 2. Reg. 20. Nam qui prophetam recipit, prophetæ mercedem, iuxta Domini sententiam, certo accipit.

Et huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Nomè celebre, nomen amabile, nomen dulce Maria, propter eam quæ peperit illum, qui suo mundum cruore medicat, quemadmodum hodiè chorus cantat. Duæ hic nobis proponuntur sorores, vnius pietatis duplices habentes affectus. Altera theori dedita, Christi verbum auidè audiuit, cibo vitæ, quam filius hominis dat Ioan. 6. dedita, Christi videndi non minus cupida, quam Zachæus Lu. 19. Sedens secus Domini eos pedes, audiebat verbū. Sedere hic habet nescio quam emphasim. Et Dominus, sedens in monte, item in nauī, docuit. Immo etiam sedens, puer natus annos duodecim, in medio doctorū, respondit illis, & eos vicissim sciscitabatur. Apostolus quoquè Act. 22. Ipse fatetur se ad pedes Gamalielis sedentem, legis præcepta didicisse. Quietem animum & attentionem significat. Auditorium ferueat oportet. Discipulum decet esse mateteuthin & pepedeu menō, Mar. 13. Act. 22. hoc est, commodum & honestum discipulum Dei, qui religioni à teneris affueuerit. Cæterum & suggestum & sedilia omnia sic debent in sacra

Domus fidelis hospitiis christi xenodochion est verum.

Vita actiua & contemplatiua in ecclesia.

æde fieri, vt comoda & honesta sint omnia. Maria pendens ab ore Christi, theoriam nobis cōmendat, domum suam acroaterion, hoc est, locum vbi auditur verbum Domini, statuens. Martha praxin nobis commendans, eandem domum efficit Christodochion. Sic debet institui quæque domus, maximè sacerdotum, præcipuè cœnobia.

In primitiua ecclesia erant scholæ, quæ dicebatur scholæ saluatoris. Eusebius est restis lib. 3. cap. 24. In Alexandria habuerunt fideles scholas, dictas ecclesiasticas, pro catechumenis. Origenes post Pantenum harum legitur fuisse moderator. Chrysofomus contra repræhensores monasticos, vocat monasteria scholas virtutum, atque inter cetera dicit: Ad hanc scholam vos quotidie vocantes, salutarem vobis doctrinam apponimus, non quæ veniunt ex propria mente loquentes, sed documenta nobis à Domino per diuinas scripturas donata, Act. 16. domus Priscæ & Aquilæ dicta est ecclesia, certè potissimum ex verbo quod ibi sedulo docebatur. In Actis apostolorum in ædibus vides Euangelium frequenter denunciatum. Sed & eleemosynæ frequens fit mentio. Sic Tabitha, sic Cornelius, sic Lydia purpuraria, sic omnes probantur verè Christi discipuli. Adeo domus Christiani, Christo tota debet dedicari. Discipuli veri colligunt vagos, cibos & potum dant famelicis, vestiunt nudos, & nullis non instant misericordiæ operibus, memores, iudicem hæc à suis exquisitum, Matth. 25. Hæreticorum conciliabula, Christi esse non possunt, quia non faciunt ad vniuersitatē. Catholici in priuatis ædibus conuenientes, nihil eudunt aduersus pacem ecclesiarum omnium, sed ad ædificationem conueniunt vnitatis. Catholicorum docere & audire, totum sic fieri oportet, vt fidelis quisque verbi Dei diligens sit & † matheteuthis & pe-
† μαθητης.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit & ait: Domine, non est tibi cura, quod soror meæ reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuet. Est & inter

*Cōtrover-
sie catholi-
corū ad ec-
clesiæ indē-
cium dese-
rende.*

iplos fratres & sorores aliqua lis, sed quę facilē sopiatur inter Paulū & Petrū, inter Paulū & Barnabā. Sed in cōtro- uersis talibus ecclesię atque pręfulis iudicio obaudiendum. Pręfractus nemo est catholicorum. Ecclesię filius est humilis, tractabilis, vt ait Iacobus Martha Marię affectus nescia, modestē forori succenset, non conuicia- tur, non tumultuatur, non agit lędoriis more insano- rum hereticorum. Maria visā est Marthę quieta, secura, acediosa, atque (quod aiunt) in vtranuis aurē dormiēs: neglectę ergo cęconomię visā fuit castiganda, atque hoc voluit committere pręceptorī Christo. Marię mēs tota erat raptā in cælum, cōfixa illius menti verba Chri- sti firmissimo clauo. Diceret cum Christo: Mihi alius sa- pit cibus. Similis reginę Sabę quę spiritum ultra nō ha- buit, visā & audita coram sapientia Salomonis, 3. Reg. 10. Sed certē Christus æterna sapientia, plus Salomone mirāndus, Matt. 12. Respice Mariam ferē semper ita de- scribi animo curis remisso. Ioann. 11. occurrit. Martha Iesu, Maria domi federe. Cap. 12. Martha item lategit circa ministerium, Maria non item. Non acediosa verō putanda, Maria, non socors & ignaua, sed mente altius raptā. Neq; Martha peccauit sua sedulitate & officio. Operosa fuit & Sara, Gen. 18. Officiosa fuit mater Sāso- nis, Indic. 18. Nahor in Mesopotamia Abrahę serulos apparatus non modico excepit. Gene. 24. Loth, Tobias, Raguel, & alij quoque, hoc in officio strenui leguntur fuisse, nec hoc illaudatē. Facit huc Sunamitis Heliſei ho- spita, à Marthę sollicitudine non aded aliena. Vnde ne- que Martha hic culpabilis operosa. Cura reprobatur non opus. Accuratē rationē habuit, quia gratificari tan- to hospitio voluit, qua in re nō peccauit: ceterū q̄ aded anxia & scrupulosa fuit, deliquit. Ne quid nimis, quia omne nimiū vitiosum. Scrupulosam religionē euāgelis- ta describere voluit Marthę. Gręcā proprietatē vix no- stro idiomate potero assequi. Sat agebat, citra metapho- ram reddi poterat, circumflectebatur, distrahebatur, mo- rabatur, &c. Textus Gręcanicus Euāgelistę, non facilē Germanicē verti potest. Anxium affectum & se nimia cura discruciantem describere vult: Affectus eius in- diciū est, quod ait: Domine, non est tibi curę, & cę.

*Martha
op^o nō re-
probatur,
sed cura
anxietas.*

Græcicæ dictiones talia exprimunt. Sūt ferme eadem verba quæ discipuli in nauicula ad Dominū dixerunt, *ὁ μισθός* Marc. 4. Summa summarum, animus Marthæ in multis fuit, non putabat se tantis negociis solam sufficere. Dicit ergo: Dic vt me adiuuet. Obserua ingenium suum vtranque for orem etiam apud Ioannem obtinere, cap. 11. Martha Domino venienti occurrit, Maria nō item. Apud eundem cap. 12, vides etiam Martham mensæ ministram, Lazaro cum Christo discumbete. Sed hic audiamus, quantum animi tranquillitatem scrupulosæ curæ præferat.

Et respondens, dixit illi Dominus: Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Magister iudicat hic, cōponit litem. Non est præfracta hæretica Martha, sed humilis Christi discipula: sine negotio ergo inter Martham & Mariam reconciliatur gratia & concordia. Martha Martha: repetitio nominis, indicium est dilectionis, dicit Augustinus sermone 26. Non aspernatur opus, sed taxat curam. Non condemnat fedulitatem, sed animi anxietatem. Amat Martham operosam & officiosam, vnde curas à dilecta vult demere omnes. Vnum, inquit, est necessarium. Theophylactus per vnum hoc, intelligit sobrietatem & parsimoniam. Quasi dicat: Non est opus tanto apparatu, nō gratificaris mihi multitudine missuum & varietate epularum. Nos quoque inter cætera hoc genus, animi paucis cōtenti prouerbia, frequēter dicimus: Amicos pane & caseo esse contentos. Nota, sobrietatē etiā ethnicis cōmendatissimam fuisse. Dicit ergo: Viuitur paruo bene. Proverbium item est, Non oportet transgredi salem & mensam. Et natura vult, vt paucis simus cōtenti. In multis cibis est infirmitas. Et è mensa dubia surgit pallidus omnis. Ad Christum reuertamur. Vult dicere: Ego alium cibum hic quero: quem tu nescis, nempe eum, cuius ratione huc sum missus. Vnum itaque hic accipendum pro animo ab omnibus curis libero atque soluto. Vacare., verbum, significat tam vacuum esse, quàm operam alicui rei dare. Dicimus ergo, Vaco sapientiæ, Vaco rei diuinæ. Vt sit sensus, propter studium sapientiæ & rei diuinæ, alias omnes res vilipendo & negligo.

*Martha
opus nō re
probatur.*

*Vnū ne-
cessarium.*

Ocium quoque significat harum rerū studium, quippe quòd ad contemplationem ocium requiratur. Pluribus intentus, minor est ad singula sensus, dicitur prouerbialiter. Sed dicere poterit contemplatiuus siue theoreticus: Nunquam minùs sum ociosus, quàm cùm sum ociosus. Hic iuxta Christi iudicium *vrichss thun, ist v rolgethan*. Vacare est hic obsequium præstare. Idiotæ putant, studiosos literarum & contemplationi deditos, desidere & inertes ocio perire. Volunt ergo ab acerra ad ararum sacerdotes quoslibet cogere. Tale est quod dicit Martha: Dic vt me adiuuet. Act. 6. murmur coortuū est in ecclesia. Apostolus Petrus querulos eos compefcendo, ait: Nūquid vultis vt nos derelicto verbo mens

*Audire
verbi ne-
cessarius.*

ministremus? Veteres theologi, Ambrosius, Augustinus, & post illos Theophylactus, hoc loco auditum verbi diuini intelligunt. Martha, ait sanctus Augustinus, pascere, sed Maria pasci voluit. Illa propter multa erat turbida, hæc propter vnicū erat serena. Illud quod hominis cor à Christo aufert, repurgandum: hoc quod hominis cor Christo adhærescere facit, vnicè conseruandum. Vnicè necessarium est, audire verbum: quia fides ex auditu est. Sine fide impossibile est hominem saluari posse, Roma. 10. Marc. 16. Per auditum electis ingerit Deus spiritum sanctum, Galat. 3. Acto. 10. Spiritus sanctus hominem bonorum operum facit fœcundum, Galat. 5. Aded hoc vnicum est vnicè necessarium. Absit hic malus interpres nouorum euangelicorum. Nō, vnicum, & vnicè necessarium, accipiendum sic, quasi excludantur alia pietatis opera & fructus sancti spiritus.

*Audire
verbū Dei
importat
operationē*

Collatio hic fit inter Marthæ apparatus & Mariæ ocium. Vnicum Mariæ, hic multis Marthæ componendum. Martha per varia & plurima distrahebatur: Maria per vnicum à variis districta, vni adaptabatur. Vnū hoc, præcipuè necessarium. Poteris etiam legere: Vnius est necessitas. Beati qui audiunt verbum Dei. Ecce præcipuum & vnicum. Sed & addédum, Qui custodiunt illud, Luc. 11. Ecce alterum.

Habet religio nostra suos gradus. Præcipuus, primus nimirum, est audire verbum: intelligere, secundus: in memoria retinere, tertius: corde credere verbo est,

quartus: verbo fidere, est quintus: verbi præscripta fideliter re ipsa complere, sextum est & summum, vt auditus, sit Camur: opus, sit La: cæteris ordine sibi succedentibus. Qui Christum hic confiteretur coram hominibus, eum & coram patre suo confitebitur Christus, sed non confiteretur, qui nõ operatur. Vnde malefactoribus dicit, Nescio vos: & non solùm malefactoribus, sed & acediosis, negligentibus, oleum in vasis suis non habentibus. Matthæi vicesimoquinto. Estote factores verbi & non auditores tantùm, ait Iacobus. Non abludiverbum Senecæ, dicentis: Facere docet philosophus, non dicere tantum. Ad eum modum diceres: Facere docet Theologia, non audire tantum. Et scitum est hoc Iustini martyris: Non in verbis, sed in factis sita est nostra religio primæ Corin. quarto, Rom. septimo, non auditor legis iustificatur, sed factor. Ad ecclesiam quoque est verbum patris cælestis: Audi filia & vide, & inclina aurem tuâ, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum, Psalm. quadragesimoquarto. Audire saltem, & nihil præstare, parvam laudè meretur. Ezech. 33. Matthæi septimo. Non velle verò audire, profus est execrabile. Evangelici noni absolutam iustitiã penes auditum statuunt. Bernardus catholicus author, hic audiendus, dicit ille: Nos in fide plantasti, in charitate mittimus radices, defossi sarculo disciplinæ stercorati pœnitentię lachrymis, rigati prædicatorũ verbis, & sic exuberamus vino. Hi veri palmites vitis vineę Christi Iesu, sine quo nihil possumus, per quẽ omnia. Sic factu facilima omnia, 1. Ioan. 5. Facta ex nobis æstimare, cū Iudæis & Turcis, nõ est catholici sensus. Hoc *Mijsra* Ioãnes Hufsita ita exprimit, dicens: Opus bonũ, Deum diligere: medium, ieiunare: neutrum, arare. Opera bona fidelium, nõ sunt opera legis, sed euangelij. Hoc qui sibi ritè psuaserit, ab Hufsica impostura tuus erit. Sũt in ecclesia, itè in clero, qui Marthã Marię præferũt sed ipsi non Marthiani, sed Mammoniani esse pergunt. In illos ait sanctus Gregorius: Miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet: quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo ei, vt cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solã lectionem

Magister
iuxta Bo-

& orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare, sed largam manum habeat, necessitatem patientibus succurrat, alienam inopiam suam credat: Quia hæc si non habet vacuum Episcopi nomen tenet. Epistola 29. lib. 5.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Maria Martha beata hospita Domini, tamen si sua diligentia
pars opti- tantam laudem non meruit, quantam Maria adeptæ est
ma, Mar sedendo, non tamen culpabilis bene operando. Ambro
tha bona. sius ait: Martha in sedulitate officij non reprehenditur,
 Mariæ verò melior pars præfertur. Vnū corpus est eccle
 siæ: mēbra licet eiusdem corporis sint varia, habent ta
 men inter se vsus communionem, 1. Corin. 12. Sapieu
 tia in capite, actus in manibus. Maria, secundum senten
 tiam iudicis, optimam partem præripuit, sorori bonam
 reliquit. Optimum enim, infra se & bonū habet, & me
 lius. Solitudinem superuacua & scrupulosam aufer
 à Martha, & videbis bonum & melius opus pietatis ad
 omnia commodum. Maria verò tota verbi contēplatio
 ni dedita, Marthæ præfertur sedulæ. Tanti est verbum
 Dei. Verbum ipse Deus est, quia Deus est ipsa veritas.
 Neque Marthæ pietas poterit esse salutaris sine verbi
 auditu. ~~Quædam autem dicitur in scripturis, quædam~~ Non
 auferetur ab ea, immo (ait sanctus Augustinus) perpetuabitur & augebitur in ea. Bona est pars vna, alia me
 lior, alia optima. Beatus qui confors fuerit alicuius hor
 rum. Horrendum dictu hoc apud Ioannem 13. Non ha
 bebis partem mecum. Item, Partem suam habebit cum
 infidelibus, Lucæ 12. Exortes autem gloriæ Dei sunt, ne
 gligentes bonorum operum, & factores malorum. At
 que hoc est habere malam partem, quod certè de bea
 ta Martha dici non potest. Qui itaque sibi ritè vult con
 sultum, primò in Mariam se transfiguret, deinde Mar
 thæ personam induat. Sed quare primò Maria? quia Ma
 riæ pars præcipuè necessaria & magis gloriosa. Adde q̄
 & fors Mariæ est durabilior, Practice, distractiones fert
 & turbationes: contēplatio verò, domina fit affectio
 num, vt dicit Theophylactus. Nam & sessio, firmitatis est symbolon. Maria verò refertur, quado hoc quod
 cælestis pater iussit, præstatur. Ait Mat. decimosextimo.

Hic est

Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Petrus idem se in monte Thabor audiri fatetur, 2. ca. 1. Aures verò audiendi quotusquisque habet? Si fabulas recitaueris, si iocularis ludos in scenis deprompseris, frequens auditorium habebis. Hic obliuiscimur omnes, de talibus magis reddendam nobis esse rationem, Matth. 12. Semen verò verbi Dei diabolus statim auditum aufert, Matt. 13. Debet fidelis verbum Dei audire ardentem: nam sic retinebit ipsum tenaciter. Denique hic obserua, neque Mariam probari sine opere, neque Martham sine fide. Theophylactus cum suo Chrysofomo, cum primis impugnant eos, qui alterum auferunt. Sed nos iudicem audiamus Matth. 7. Stultus est, ait, qui ædificat super arenam, hoc est, qui fidem sine bonis operibus prædicat. Apud Marc. 11. maledicit ficui sterili, hoc est, fidem sine bonis operibus habentibus. Et veste carentem nuptiali, deturbari iubet in exteriores tenebras, Matth. 22. Ecclesia (ait Augustinus) est domus disciplinæ, in qua docetur benè viuere. Propter hoc verò discitur benè viuere, vt perueniatur ad semper viuere. Sed vide Martham fide vacuam non fuisse. Credo, inquit, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti, Ioan. 11. Maria quoque bonorū operū extorris non fuit, teste eodem, cap. 12. vbi ait, Mariam accepisse libram vnguenti nardi pisticæ preciosi, atque vnxisse pedes Iesu, capillisque suis eosdem extersisse, & repletam esse totam domum fragrantia olei. Vngere hoc ipsum, veritas bonum opus vocat, Matth. 26. Catholici, nè decipiamini, veterem ecclesiæ viam sequimini: in ea tanquam columna, firmemini, Hier. 1. 2. Verbum Domini hoc orthodoxum, hoc catholicum, hoc denique gloriosum, manet in æternum, Esa. 4. Psal. 112. Cætera de praxi atque theoria, petat sacerdos apud alios, præsertim apud Theophylactum. S. Augustinus hic elicit vitam huius miseræ, & vitam instantis gloriæ. dicitque inter cætera: Vna laboriosa, altera ociosa: neutra facinorosa. Quod Martha fecit, nos sumus: quod Maria fecit, nos speramus. Hoc agamus benè, vt illud habeamus plenè. Hæc ille. De vita actiua & contemplatiua vide S. Ambrosium super Psal. 118.

*Audiendò
aures parat
es habent.*

POSTIL. VICEL. SUP. EVANG.
IN FESTO ASSUMPTIONIS GLO-
riose virginis Mariæ, Luc. 10.

Factum est dum irent, & ipse intravit in, &c.

¶ Sectio.

- 1 Maria exemplar omnium virtutum vtriusque vite, actiue & contemplatiue.
- 2 Merito ergo celebratur exaltata supra omnes choros angelorum.
- 3 Reformatio non est dicenda, sed heresim omnium fons, festum hoc antiquare, & suis solennitatibus priuare.

¶ DECLARATIO.

1 Intravit Iesus in quoddam castellum &c. Actiuam vitam citra omnem reprehensionem peregit Maria, Elizabetham salutans: profecta in Bethlehem grauida, vt censeretur. Christum panem in praeseptum, pannis inuoluens, offerens, fugiens in Aegyptum, rediens, educans, in templam secum ducens, Christam queritans, suis in Cava Galilæe consulens, Christo in cruce morienti adstans. Stabat, ait Euangelista, vtiq; mulier virtutum, mulier fortis, virago. Contemplatiua, præ omnibus, sola inuenta ab angelo: cogitabat qualis esset saluatio. Aduerte eius verba Luc. 1. Et exultauit spiritus meus in Deo saluati meo. Et ac verba ex Esa. 61. sunt deprompta: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Sic omnia verba Mariæ, nihil sunt nisi ipsa scriptura. Magnificatio Domini, argumentum est mortificationis. Mundus iuxta Prov. 2. letatur in rebus vanis. Psal. 32. contrarium dicitur: Gaudete iusti in Domino. Et militas Mariæ non est humiliatio vilitatis, sed virtutis. Esa. 66. Ad quem respiciam &c? Psal. 30. Quia respexisti humilitatem meam, saluasti à necessitatibus animam meam. Profecta in Bethlehem vt censeretur, vtiq; propter tot mysteria, vt scilicet ea per illam adimplerentur. Circumcidi, ac in templo offerri, turtura & columbis adumbrari: nihil horum citra theoria. Infandum hoc dic heretici de humilitate garriunt Mariæ. Penè eò tendere videntur, vt humilitatem accipiant pro vilitate. Sed virtutis est verbum, quod dicit Dominum suam respexisse humilitatem. Optimam partem Maria elegit & possidet, nedum non minimam.

2 Et mulier quaedam Martha nomine, &c. Et huic erat soror nomine Maria &c. Maria induit Christum vestimento saluti, quia corpus Christi est saluare. Esa. 61. Coronauit ipsum diademate. Cantic. 3. Egredimini filia Sion, videte regem

Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Thronus sex graduum, 3. Reg. 10. Lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt, Cant. 3. Ibidem ferculum Salomonis de lignis Libani. Columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus in media charitate. Observa, librum Cant. potissimum & propriè intelligi de Maria matre Domini, socræ Ecclesiæ, immò etiam (ut ita dicam) matre Ecclesiæ. De eius assumptione intelligitur hoc Cant. 5. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula sumi, ex aromatis myrrhæ & thuris, & univèrsi pulveris pigmentarij? Myrrhæ, id est, martyrum: Thuris, id est, sacerdotum: Univèrsi pulveris pigmentarij, id est, omnium meritorum omnis status. Reclinatorium aureum Hugo virginis uterum intelligit, in quo recubuit filius Dei. Undè Maria dicitur theotoca. Reclinatorium est superior pars ferculi. Ascensus purpureus, quia eam in assumptione sua, regali (id est, summa) gloria ornavit. Purpura, summa gloria regalis habet significationem. Pro. 31. *Multæ filie congregaverunt divitias, tu supergressa es univèrsas. Augustinus & Damascenus vocant eam reginam celorum. Bernardus, Anselmus, & alij catholici idem faciunt. Augustinus libro de virginitate cap. 6. vocat eam matrem fidelium, propter Christum, cui incorporamur fide & exemplo mori. Christus primogenitus, nos fratres, ergò Maria mater. Augustinus in sermone de festo, scalam celi vocat humilitatem Mariæ. Ecclesia vocat fenestram celi. Ambrosius in libro exhortato. ad virgi. vocat nubem, iuxta hoc Esa. 19. *Eccè Dominus veniet super nubem leuem, idem de instit. virgin. cap. 13.***

3 *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Per versi reformatores, solennitatem Mariæ abrogantes. Hoc primum omnium Mariæ festum ab apostolis institutum. Nullum aliud festum Mariæ per præceptum ieiunij commendatur plebi. Festum est canonicum, vide de cons. dist. 3. Pronunciandum. Certum est, apostolos, sanctorum celebrationem instituisse. Vide Dionysium. Nemo ante obitum celebratur beatus. Maria ergò defuncta hac vita, atque assumpta in aliam, primò dedit apostolis rationem se celebrandi. nemo ferè sanctorum qui homilias scripserit, hoc festum neglexit, quin ipsum quoque suis præconijs excoleret. Qui negant assumptam proferant eius reliquias & sepulturam. Aug. in ser. dicit, in Christo & Maria carnis substantiã esse reciprocã. Itè idè ait: Si Christi est quod Maria genuit, quare non Christi per quod genuit? Dicunt non habere historiam euangeli-*

cam. O sapientiam, in extremis temporibus vix sperandam. Sed
 heus tu frater euangelicè, audi quid Apostolus dicat de ecclesia:
 Vos estis epistola, non scripta atramento, sed digito Dei. Qui huic
 epistola non credit, quantum scripturæ tribuat, quis non videat?
 Primò peccant in ecclesiam, qui festum hoc præsens antiquant, se-
 cundò in Mariam, tertio in scripturam, eius figuras & mysteria
 sensus anagogici & tropologici obliterantes: quarto in Christum
 & ipsam sanctam Trinitatem. Maria mater Christi & ancilla
 S. Trinitatis. Vbi Dominus, ibi & ministri. Date Mariæ de
 fructibus manuum suarum, vt ipsa det nobis de fructu vètris sui,
 suam intercessionem pro nobis non omittendo, in gloriam Dei ac
 nostram salutem, Amen.

ADAPTATIO EVANGELII AD FE-
 stum hodiernum.

*Maria
 Dei geni-
 vix &
 Mariam
 retulit &
 Marthã.*

Maria electa & præelecta virgo, Christi genitrix
 vera, omni laude dignissima, reuerà & Mariam
 & Martham egit in terra. Domus Domini,
 & triclinium omnium gloriosissimum, vnde Sponsus e-
 gressus tanquàm è thalamo honestissimo. Ea ipsa est,
 quæ Regi seculorum in fine seculorum diadema para-
 uit, quo apparatu etiam angelis cæli admirandus appa-
 ruit, quasi veniens ab Edom, tinctis vestimentis è Bostra.
 Gloriosam eam dominam hodiè recolimus assumptam
 ad filium, receptam ex laboriosa vita ad gloriosam. Hie-
 ronymus dicit, ex Apocryphis nihil certi posse euinci.
 Idem affirmat, ætate sua templum extitisse in valle To-
 saphat, nobile opus, in eo sepulcrum gloriosæ dominæ
 esse erectum, non minùs nobile: sed vacuum cenotaphi-
 um, aliquod præ se ferre & monumentum* aliquod.
 Cæterùm de corporali assumptione nihil vult temerè
 fingere. hoc ipsum dicit, se Domino Iesu committere.
 Hoc saltem certum esse, Deo omnia esse possibilis: Cer-
 tum item esse, corpora sanctorum plurima resurrexisse,
 Matt. 27. Idem dicit, etiam Davidis sepulcrum vacuum
 ostendi, Acto. 2. Verisimile esse, & David a glorificato
 corpore cum Christo triumphare. Denique ait: Quan-
 quàm propter cautelam, salua fide, pio magis desiderio
 opinari oporteat, quàm incensurè definire, quod sine
 periculo nescitur. Sanctus Augustinus primò hæsitat,
 sed tandèm affirmat, plurima esse certa, quæ in scriptura

canonica non inueniantur expressè. Nihil scriptura de iustitia Melchisedek habet memoriæ proditum, nihil Biblia tradunt de beatitudine Enoch & Helix, Gene. 5. 14. & 4. Reg. 2. Indubia tamen hæc esse omnia. Infert ergò & rationi esse consentaneum, credi Mariam, cum secundùm corpus, tum secundùm animam, in cælum assumptam. Nemo suam carnem non amat, parentum nobis honor est præscriptus. Christum verum filium esse Mariæ, videmus Luc. 1. vbi dicitur, Sanctum hoc quod nascetur ex te, filius Dei vocabitur. Christi corpus non computruisse, scriptura docet Psal. 15. Acto. 2. Denique & Christus ait rediuuius: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Colligit itaque sanctus Augustinus primò, animam Mariæ claritatis Christi consortem, eum, quem sinè omni macula genuit, concernere clarificatum. De corpore sic disputat: Etsi non suum per quod genuit, tamen suum quod genuit. Dicit: Si non illic habet corpus, per quod genuit Sotera Iesum, tamen habet corpus suum, quod genuit Iesum. Sequitur: Immodò quare non & corpus suum, per quod genuit? Sanè in cælo etiam est corpus per quod genuit, quia terra tanto indigna monumento. Non dedit sanctum suum corruptioni: absurdum ergò dictu, carnem eam & sanguinem, vndè sanctum hoc natum, putredini obnoxium dicere. Sermone secundo dicit, catholicam historiam non habere, quo modo Maria assumpta sit: verùm hoc constare, quòd assumpta sit supra omnes angelos, siue secundùm corpus, siue secundùm animam. Adeò omnibus modis hodie est festum celebre. Quid ergò sibi vult noua secta, quæ hoc tantum festum abrogat? Natales apostolorum recipiunt, natalem sancti Stephani non antiquant: sed gloriosissimæ virginis, reginæ cælorum natalem eum, quo æternæ vitæ exordia sortita est, abolent: scilicet egregia reformatio, digna quæ in tenebris micet exterioribus, digna quam recipiant omnes filij hominù, tenebrarum earundè consortes. Fugite, fugite catholici sacerdotes, filios eos terræ, quantùlibet gigantes, quia salus in illis non est. Cæterùm, iuxta psalmographum, cum electis Dei, vestigia pedum eius adorare. † Theositis atque Zoilis ecclesiæ displicet cantus,

*Bibliorū
litera non
omnia ex-
primit,
quæ sunt
certa & fi-
de catholi-
ca recepta.*

*Maria
virgo as-
sumpta est
in cælum.*

*Assum-
ptionis
Mariæ fe-
stum cele-
bre.*

quam ecclesia historiam vocat. Historia mutetur, ne nasuti illi momi offendantur. Sed quid tandem ecclesia statuet, quod non suggillent liuidi illi homines? Et quid tam syncerum esse possit, in quo oculus nequam non impingat? Valeant hæretici, psallant catholici: nisi quod sacrosanctum est, psallit ecclesia. Fatetur ecclesia, Mariam assumptam, non vltro snapte virtute ascendisse. nihil temere definit, sed ei iudicio & culusuis deuotioni rem ipsam committit. Verum qui Mariam elucidant, hoc est, supra omnem sanctorum coronam extollunt, non peccant. Nihil ergo erubescimus cum Dionysio, corpus Mariæ theodochon vocare, Marthæ & Mariæ ædibus, conferre, Christi dulcem recessum vocare. Theodochon est, quod Deum ad se recipit. Maria theodochon, digna habita Deo, quæ etiam fieret theotoca, hoc est, Dei genitrix. Denique & theotochion facta, hoc est, receptaculum Dei, consors passionis filij Dei facta. Quantum ad festi huius prædicationem atinet, Eusebius in Chronicis paucis complectitur. Dicit ille iuxta versionem sancti Hieronymi: Anno Domini 48. Maria virgo Iesu mater, ad filium in cælum assumitur, vt quidam sibi fuisse reuelatum scribunt. Hæc ille. Videat sacerdos Tertulliani libellum de carne Christi. Libellus ille totus huc pertinet. Summa, duplici ratione Maria assumpta creditur, quia mater virgo & martyr. Prima omnium fuit, quæ calicem Domini degustauit. Vnde cantat ecclesia: Adstitit in cruce pendenti: adstat ergo nunc in cælo regnanti, filio suo pro nobis supplex. Cui cum patre & spiritu sancto sit par gloria per omnia secula seculorum, Amen.

IN NATALI SANCTI BARTHOLO-
mæi apostoli, epistola, 2. Cor. 4.

H *Athenus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt
sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis, &c.*

P R A E F A T I O.

N Eminem latet, quantis discriminibus status ecclesie præsentis sit obnoxius. Tanta est inuidia diaboli qui contra ecclesiam hæreticos subin alios & alios excitat, schismata in ecclesia facit, tyrānos satanes facit ad imbelles excoriandos. Deniq; & ab extraneis quæ ec-

clesiæ insistent pericula, quis non videat? Permissiue omnia facit satanas, non præceptiue. Similiter & impij non coguntur nisi à suapte malitia: non ergo effugient Dei iudicium. Hæretici dicunt Deum etiam facere mala, Deum mali authorem facientes, hominem sui arbitrij non esse. Dogma hoc, bone Deus, quam vulgo auribus prurienti probatur. Sed si fontes Deus supplicij immunes relinqueret, si in pœnas contra malignos non iret, doctrina ea noua speciem veritatis sibi mereretur. Nunc vero postquam Deus impijs varia pœnarum gehennarum genera minitur, verba dare incautis astutas vulpeculas manifestum fit. Sed Deus interim omnia in electorum vsum vertere potest, quod & facere non supersedit. Facit ergo bonum & præceptiue & effectiue. Itaque videmus è cruore martyrum succreuisse adeo sanctam ecclesiam. Satanas princeps huius mundi, nihil habuit in Christo, Ioan. 14. Nihil ergo habet idem insidiator, in Christianis, quibus caput eius aspidis per Christum est contritum. In Christo fundata est ecclesia, vnde nihil contra eam possunt etiam infernales portæ, Math. 16. Quod in lectione præsentis præclare docet Apostolus. Ipsum ergo audiamus:

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In præcedentibus Apostolus ostendit, euangelion quibusdam esse reuelatū, quibusdam vero non, discernens fideles ab infidelibus. Bonum hoc nuncium comparat luci tantæ virtutis, vt nullum mundi angulum atque angiportum non perlustrare possit. Adfirmat item Christianos, eius lucis beneficio, Christo, qui *imago*, hoc est, imago atque effigies ipsa præsentissima Dei est, agnoscere: Mosis lucem huic collatā, esse vmbra, &c. Postquam de hac re egit in præcedentibus, tandem infert verbis præsentibus, nos Christianos ac tantum thesaurum portare in vasis fragilibus: *ni opt. ma hoc est, non apparere coram mundo, Christianos adeo ximū the- esse felices. Persequuntur hæretici catholicos. Dicunt saurū por solam fidem iustificare, hominem sui arbitrij non es- tāt in va- se, Deum facere malum, &c. Comminiscuntur noua ne- sis fictili- scio cuius sacri, officia: reiciunt vetera ea, quibus ab bus.* exordio sui identidem vsa est sancta mater ecclesia.

Hic nisi quis subscribat, perit. Putant ergo hæretici catholicum imbellem, leprosum, & percussum à Deo. Moritur æquè sapiens atque stultus: omnes eodem coguntur. Terra sumus omnes. Vndè ait: Quid tibi places testa de samsis terræ? Esa. 45. Vas figulij sine negotio diffringi poteris, Psal. 2. De hac re vide plura Esa. 29. Hier. 18. Sed non est opus de fragilitate humani generis, quos etiam culicis morsus enecat, dicere, cum ethnici poetæ & philosophi de hac re abundè scripserint. Tyrannos hoc dogma humiliaret, sed ecce tibi, ferociunt magis & insolentunt contra eos, qui se ex Christi præcepto non defendunt. Et quomodo non negligerent Christi discipulos, cum ipsi etiam Christo parum tribuant? Quantum Christo tribuant, si scire velis, considera quantum timeant, quantum verbum erus custodiant. Sic viuitur, vt credas verbum Dei huic mûdo haberi vilissimam aliquam fabulam. Mirum ergo non est, Christum profitentes, in hoc mundo male audire. De thesauro verbi Domini, dictum est in die sanctæ Annæ. Quod hic dicimur vasa testacea, idem fere est, quod alibi dicimur templum Dei, 2. Cor. 6. tabernaculum, 2. Pet. 1. Thesaurum eum verbi Dei immensum, in fragilima vasa diuina condit clementia, vt ex nostra firmitate eius virtus elucescat. Exempli gratia, miseri piscatores, indocti, imbelles, totum Christi cruci subegerunt mundum. Calcant tyrannos, pessundant philosophos, triumphant obscuro de omni huius mundi claritate. Nonnè indè clarescit gloria gratiæ Dei?

An non olim sonitu buccinarum sacerdotalium, fundamenta murorum Tænaria subruta, huius sunt typus Iosue 6? An non huius figura fuit strages ter maxima, per trecentos saltem edita Israelitas, Iudic. septimo? Quid hic de Goliath dicam, quem puer inermis & belli inexpertus prostrauit, 1. Reg. 17? Nunquid & illa cædes, euangelicæ potentiæ figura non est? Chrysolomus dicit hic, nos non immerito admiratione obstupescere, & salubriter tam sacras adorare historias. Confer tyrannorum vesaniam imbellium infirmitati, & elucescet gloria euangelij: Nos, aiunt, mystici speculatores, locustæ sumus, collati Enachais. Sed nemo potentiæ verbi Dei poterit vnquam resistere. Per fidem vicerunt regna, ait

*Christiano-
rum infir-
mitas for-
tior è vni-
uerso mû-
do.*

Apostolus Hebr. 20, 11. Certè non neque per potentiam, neque per sapientiam humanam, 1. Corinthior. 2. Infirmum Dei, potentius est omni robore huius seculi, 1. Corinth. 1. Hoc ipsum hyperbole, vt Apostolus ipse ait, hoc est, supereminentia potest virtutis Dei. Nihil hic se caro & sanguis potest efferre. Hyperbolicam potentiam sibi non potest vendicare humanæ infirmitatis profunditas. Dicit ergo Apostolus Petrus: Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, &c? Deus hoc opus edidit, Actor. 3.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiatur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliatur, sed non confundimur.

Ea quæ iam audiuius, Apostolus hic robustiori argumento adhuc firmare instat, fragile vas esse, apparatus ad immensam gloriam Dei. Quid faciat contra portas inferorum natura humana? Quid faciat contra Leuiathan & Behemoth caro & sanguis? Dicis, hæreticos & tyrannos aliud esse ab ipso diabolo? homines esse illos, hunc spiritum? Non negamus hoc. Sed eccè tibi diabolum non secus in suis agere, atque agit in electis spiritus vehemens Dei. Quomodo ergo, si Apostoli & sancti martyres atque confessores, spiritu Dei vani atque destituti fuissent, diaboli corpori præualere potuissent? Legantur martyrologia & annales ecclesiæ, & videbis præsentem manum Domini in sanctis & electis Dei, 2. Corinth. 12. Verbum item quod opulenter habitauit in ipsis, Coloss. 3. Ait ergo: Quis nos separabit à charitate Dei? Num anxietas siue persecutio? num fames, nuditas, periculum siue gladius? quemadmodum scriptum est: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues mactationis. Et cætera quæ ibi sequuntur, Rom. 8. Psal. 43. Ethnici constantiam eam & virtutem digiti Dei, vocauerunt peruicaciam & inflexibilem obstinationem. Plinium vide ad Traianum Imperatorem. Sed rursus & hoc æstima, non tam in electorum constantia elucescere potètiã spiritus sancti, quam infidelium ira sese prodit diaboli ipsius inuidentiã. Quid putatis charissimi, si Turcæ Dominus in nos potestatem permiserit? nonnè priscos tyrannos imitando,

*Christi-
nus fragi-
le vas, præ-
paratum
ad excellen-
tiã Deiglo-
ria eluci-
dandam.*

*Tyranni
& hæresi-
ci sunt
vas, ad di-
abolam in-
uidiam elu-
cidandã
aptum.*

ipsam Christi fidem extinguere præsumet? Dicis hoc ha-
 ctenus non tentauisse? At ego contendo, hoc ipsum nun-
 quam non esse conatum. Pro sua potentia, pro tempore
 & loco nimium nimiumque Christi nomen extingue-
 re nisus est. Cæterum vbi rerum fuerit potitus, quis du-
 bitat eum si quid hactenus facere est cunctatus, vehem-
 entiori studio hoc tunc præstiturum, quasi negligenti-
 am vehementia ea velit refarcire? Vide libros Macha-
 bæorum, & ingenium tyrannorum discas. Benè funda-
 ta est ecclesia. Væ illis, qui in domo Dei hæreses mo-
 uent & schismata. Si Deus pro nobis, quis contra nos?
 Sed si discordes, si Dei verbi contemptores fuerimus,
 Deus nobiscum non erit. Machabæi aporiabantur, sed
 non destituebantur. Quare? Quia Deus erat cum illis,
 Psal. 45. Alioqui statim concidissent, Psal. 123. Subeat vo-
 bis persecutionis, quam ecclesia pertulit ab Hunnis & Sa-
 racenis: & videbitis Deum esse & esse nobiscum, idque
 in ecclesia. Iam vero infestamur, quia discordes sumus.
 Alij nouam ecclesiam struere, & veterem penitus demo-
 liri instant. Alij magis veteris ecclesiæ abusus & zizania,
 quàm vere religionis synceritatem defendere inuigi-
 lant. Quid ergo speramus, nisi iræ Dei flagellū aliquod
 vel antichristum? Deus interim suam ecclesiam conser-
 uare potest, etiam ecclesiæ Romanæ praxin, solennita-
 tem, & disciplinas: si non in vniuerso terrarum orbe, cer-
 te in aliqua mundi parte, solennitatem & regnum eccle-
 siæ, tantisper donec prætereat angelus percutiens, con-
 seruabit. Spiritus sancti ædificium non conuellent portæ
 inferorum. Humanæ manus opus per se corruet. Chri-
 stus triumphator, 2. Cor. 2. Christi ecclesia muros habet
 adamantinos, Esa. 45. Non te deseram, non derelin-
 quam, ait Iosua 1, Hebræor. 13. Attendite, è quibus car-
 ceribus sint liberati Ioseph, Hieremias, Paulus, Silas, Pe-
 trus, &c. Ex qua seruitute & manu redemit Deus Israe-
 lem? & qua gloria? Ex omnibus tribulationibus eripere
 potest, qui est omnipotens. Hoc Dauid toties prædi-
 cat: hoc nobis identidem est legendum, inde consolatio
 petenda. Vide Psalm. 7. 24. 33. 40. 71. 80. 90. 106. 141.
 Fac, leo nos poterat: conterere non potest. Danielis co-
 mites in medio leonum securi erant semper, Danielis 6.

*Ecclesia
 solennita-
 tes & re-
 gimen ne
 ipse quidē
 abolēbit
 antichri-
 stus.*

Ceraſtes in via non punget pedes euangelicè armatos, Genesis quadrageſimonono. Zázumin is, etiam ſi duplo quam iam eſt, ſit peſtilentior, catholicis tamen pedibus non nocebit. præambulones antichriſti heretici & Turcæ, nauim Petri vexare poſſunt, uertere non item, Matt. 14. Marc. 6.

Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Donec ambarualia ſic celebrantur, homo inimicus zizania ſuperſeminare non poteſt. Hæc ſunt ſacra, quorum circumbauiatio verè luſtrat. Sensus verborum Apoſtoli eſt: Chriſtianus ſtatus nihil eſt, niſi mortificatio continua & reſurrectio. Cohærent ſibi hæc duo, alterum alterū ſequitur. Niſi enim granum frumenti cadens in terram moriatur, ſolū manet. Mortuum, herbeſcit atque ad eo reuiuſcit, & multum fructus ſecum adfert. Si cõpatimur, etiam conregnabimus. Impij hic Epicuricè viuunt, poſtea in igne gehennæ perpetuo morientur. Hic quærunť vitam, poſt hæc etiam mortem, cum malint quære, non inuenient. Nè metuamus ergo, fratres, eos quibus hic datur corpora noſtra occidere, cum animas noſtras uiuificent quodammođo, Matth. 10. Nonne occiderunt & Chriſtum & omnes prophetas heroës ſanguinarij, filij hominum, 1. Theſſal. 2? Oues ſumus maſtationis, Romanorum octauo, parati ad gloriam Dei, cibus Dei, quem Chriſtus in hac vita quæſiuit, Ioannis quarto. Hic mors, illic vita: hic vita, illic mors. Hic Acheron, illic cælum: hic cælum, illic Acheron. Hic plauſus, illic luſtus: hic luſtus, illic plauſus. Succeſſio & vicifſitudo ea eſt pertinax, Matthæi quinto, Ioann. 15. Chriſtus quid aliud in hoc mundo fuit, niſi crux ipſa? Qui Chriſti uult eſſe diſcipulus, oportet vt ſeſe neget ipſum, & Chriſtum ſequatur, ſublata in humeros cruce. Sic in Chriſto viuere, eſt mundo mori. De talibus dicitur: Beati mortui qui in Chriſto moriuntur. Bartholomæus Chriſti Ieſu apoſtolus, ſic in Chriſto huic mundo mortuus, nunc in Chriſto uiuit, eccleſiæ uiuus. Stemma huius carnis cum regno & gloria huius mundi, contempſit propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vndè nunc in cælo coronatus triumphat & regnat. Sepul-

*Mortem ſequitur
vita, cum
ſumeliam
gloria.*

*Vitam ſe
quitur
mors, glo-
riam igne
minia.*

rum eius gloriosius est, quàm vlla vnquam fuit regia tyranni cuiuscunque. Reliquiis eius, tanquam viuido templo spiritus sancti, supplices sunt omnes reges pij & sapientes huius terræ. Nomen eius celebrant omnes gentes. Ad meritum tanti amici Dei, pauescunt caco-dæmones & tremit tartarus ipse. Sic viuificat Deus eos, quos mortificauit hic mundus: sic glorificat eos, quos hic mundus dehonestauit. Benedictum nomen maiestatis eius in æternum, Amen.

IN EODEM DIE FESTO S. BAR-
tholomei apostoli, Euangelium Ioan. 15.

Hoc est preceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi
vos. Maiorem hac dilectionem nemo, &c.

PRÆFATIO.

*Charitas fi-
dem com-
mendat.*

Qui habet aures audiendi, audiat. Hoc est manda-
tum (ait) meum, vt diligatis inuicem. Vah hære-
tici, qui cum sua sola fide tam arduam rem ob-
litterant. Necessaria, iuxta atque fides, ad salutem est cha-
ritas. Haudquaquam ociosè Apostolus charitatem. a-
ded extollit, primè Corint. 13. Si habuero, inquit, om-
nem fidem, adeò vt montes loco moueam, charitatem
autem non habeam, nihil sum. Hæretici ingeniosa tur-
ba hic præferunt sua schemata & tropos: mentiatur iniquitas sibi. Catholicus simplici literæ nihil allaboret, à sensu communè deficiat. Omnem fidem dicens, nul-
lam vult exemptam. Vnde nobis illam fidem commen-
dat, quæ per charitatem operatur. Idem charitatem vo-
cat vinculum perfectionis Coloss. 3. Quis diligendus
potissimum existat, rogitas? Deutero. 6. Matth. 22. Di-
liges Dominum Deum tuum, ex tota mente, corde &
viribus, 1. Corin. 16. Qui non diligit Dominum Iesum,
anathema sit. Sequitur in Mosè & Matthæo: Et proxi-
mum tuum sicut teipsum. Charitatem ecclesiastes, qua po-
terit diligentia, plebi fideli comendet: hic instet tanquã
dux Iosua, atque charitatè vrgat. Inter cetera clamiter:
vnicum diligentissimè curate, vobis ritè prospicite, sa-
tagentes, vt diligatis Dominum Deum vestrum, cap. 23.
Q. d. Nisi Dominum Deum diligaris, nihil proderit eum
nouisse. Ritè nobis prospeximus, si sanctè dileximus. A-
mor proximi etiã ad impios & hostes sese exerit: nam

& Abraham rogauit pro Sodomitis, Gene. 18. Moses p
infrunitis Israelitis, Exo. 32. Stephanus pro suis lapida-
toribus, atque aded inimicis crucis Christi, Acto. 7.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

Olim cum Minos, Solon, Lycurgus, & alij sapientes *Præceptum Christi at que aded regale, christitas.*
leges suas denunciado publicarunt. quisque pro se sum-
ma auscultauit cura. Et etiam nū ad regum & principū
edicta vulgus aures patentes arrigit: quisque sibi dicit:
Ecce tibi, hoc tibi dictum puta. Hic laudem mereberis,
si obediētem te exhibueris: vapulabis, si statuta ea præ-
uariceris, Roma. 13. Leges itaque & scita ea plebs haud
secus quàm oracula è cælo demissa exceperunt: quale est
hoc quod de Herode legitur, Act. 12. Legislatoribus il-
lis humane sapientiæ æquitatem tradentibus, legemque
iustitiæ ferentibus obtemperauit totus mundus. Plus
verò detulit Mosi, utpote religionem quoque docenti.
Mirum dictu, quanto zelo populus Mosi legem rece-
perit, sciens inde aut benedictionem Dei omnipotentis,
aut maledictionem provenire, Deute. 28. Quanta verò
instantia atque seueritate lex ipsa plebi denunciata, at-
que commendata fuerit, Deute. 6. satis clarè conscriptū
habetur, Mosē iam confer Christo, & puluerem con-
tuleris mundi conditori. Confer legem Mosaicā Chri-
sti legi, & similem collationem feceris. Christus est, de
quo vox cælestis extat: Hic est filius meus dilectus,
ipsum audite, Matthēi decimoséptimo. & viuet anima
vestra, Esaia 55. Par ergo fuerit, vt attentī ante omnia
verba legis Christi, cordibus nostris committamus, nō
huius vitæ umbratilem gloriam, sed æternam salutem
vna cum omnibus huius vitæ bonis promittentia. Hoc
est, inquit, præceptum meum. Ex Græco sic legere po-
teris: Hoc ipsum est præceptum meum. Attendenda
Christi vehementia & grauitas. Videmus penitus ip-
sam loqui grauitatem, animaduertimus præcipuè ex
animo locutum legiferum Messiam, scilicet, Hoc est
præceptum meum. Quasi dicat: Hoc sibi quisque fe-
riò persuadeat, meum hoc esse præceptum. Vult se Mo-
si & omnibus nomodidactis conferri, suamque legem
omnibus præceptis præferri. Præceptum meum, filij
Dei, qui præstat hoc quod iubet, sine cuius numine ni-

*Charitas
Christi et
amor ho-
manus dif-
ferunt.*

hil est in homine. Neque item filius Dei carnalem amo-
rem requirit. Caro amat carnaliter, homo amat natura-
liter, quia homo est animal politicum & sociale. Hinc
Aeneas prædicatur pius, hinc amicorum paria quatuor
celebratur, Theseus & Pirithous, Achilles & Patroclus,
Orestes & Pylades, Pythias & Damon. Hic amor etiã
inter amatores, procos & lenones. Quin & inter se la-
trones amat. Ad eò spurcus est amor carnis: neque enim
ficus spinæ proferut. Amor Christi spiritus est sanctus,
quia Christi spiritus est sanctus: vnde vocatur spiritualis
dilectio: carnis ille ignis, dicitur amor animalis. Christi
amoris commemorat Apostolus 2. Cor. 4. Non specta-
mus ea quæ videntur, sed ea quæ nõ videntur. Renoua-
tione in ipsa nobis datur Gal. 5, per spiritum sanctũ, Ro-
ma. 5. Vires mortalium superat, Ioã. 3. Tam se hostibus
quã amicis fruendum præbet Matt. 5. Rom. 12. Mun-
dus haudquaquam amorem eum possidet, sed ecclesia
Christi in mundo. Non caro & sanguis, sed spiritus san-
ctus carnem & sanguinẽ sanctificans, hominẽque tẽ-
plum Deo dedicãs amorẽ eum profert. Dicit ergo, Hoc
est præceptum meum. Et vbi sunt illuminati noui euan-
gelici, qui dicunt euangelion nihil esse nisi promissio-
nem? Quare heresis Samaritano vitium denegat æquẽ,
atque oleum, salubre: Vetus euangelion, traducis apo-
stolicæ, legem Christi iuxta atque promissiones cele-
brat. Tam legis euangelio afficimur, quã promissio-
nis, quotquot catholici sumus, Evangelica præscripta
non minus, quã promissiones, probamus, vtcũ que ad-
uersus carnem pugnent, Gala. 5. quatenus boni nihil in
carne habitat, Roma. 7. Christi præceptum (quod Ioan.
13. nouum mandatum vocat) vnicum est, sed omnia alia
comprehẽdit. Præstat omnia, vnicum hoc qui obseruat.
Vnicum hoc soluit, qui aliquod e ceteris negligit, vt di-
cit Iacobus. Huc pertinet quod Apostolus ait, Finis præ-
cepti est charitas ex mundo corde & fide non ficta, pri-
mẽ Timoth. 1. Item totam legem in hoc compleri af-
firmat. Gala. 5. Roma. 13. In hanc legem respicit Apосто-
lus, dicens: Alter alterius onera portate, Galat. 6. Atten-
de etiam, Apostolum legem vocare Christi præcepta.
Huius præcepti obseruatores iustificat Roma. 2. Iaco-

*Euãgelio
nõ est sola
promissio,*

bus vocat legem regalem, cap. 2. Idem vocat legem perfectę libertatis, vt differentiam legis & euangelij delineet. De hoc Christi mandato dicit Ioannes 1. cap. 3. Hoc est præceptum eius, vt credamus nomini eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptũ. Et qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. Item capite 2. Scribo vobis mandatum nouum. Apostolus quoque Paulus subinde præscribit, primę Corin. 11. 2. Thessal. 3. 1. Timoth. 6. Et saluator ipse dicit se omnia ex præscripto fecisse patris sui omnipotentis, Ioannis decimoquarto. Et hoc contra hæreticos est respiciendum, quòd dicit præceptum suum esse vitam æternam, Ioan. 12. Conuenio vos fratres, obtestor vos in nomine Iesu, vt præsens verbum contra heresim sibilationes tanquã scutum vobis recipiatis. & hoc cap. 12. Qui dicit se cognouisse Deum, & præcepta eius nõ seruat, mendax est, & veritas in eo nõ est. Qui verò seruat verbum eius, in illo veritas est perfecta, 1. Ioan. 2. Sicut dilexi vos. Hic modum addit dilectionis. Propter nos homines & propter nostram salutem descendit è cælis, factus patri obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis, Ioan. 1. 3. 1. Tim. 1. Hęc omnia nobis præstitit tũc, cùm adhuc eius eramus inimici. Rom. 5. Cũ Apostolo quisque dicere poterit, Christus semetipsum pro me tradidit. Hoc vt propriè & verè quisque dixerit, sic propriè & verè efficiat, vt & de se frater hoc ipsum dicat, 1. Ioan. 3. Et nos debemus animas pro fratribus ponere. Obserua tribus præcipuè gradibus charitatis præceptum consistere. Primus est, vt vnanimis idem sentiamus, 1. Corint. 1. Ephe. 4. Secundus est, vt aliis hoc faciamus, quod vobis fieri velimus, Matth. 22. Tertiò, vt sic alios amemus, sic amando de aliis bene mereri studeamus, vt nos amari & vt de nobis alios benemereri optemus, Matth. 7. Luc. 9. Hęc est summa Christianismi, in qua alia Dei mandata comprehenduntur omnia, Rom. 15. Galat. 5. Beatus qui in hac lege Christi meditatur die ac nocte.

Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animã suã ponat quis pro amicis suis. Nihil homo se preciosius habet. Anima potissimũ est hominis preciosior pars, Iob primo. Matthæi 16. Cæterũ alia bona temporalia etiam

*Charitas
Dei erga
nos maxime
ma.*

suum habent precium. Gratificatur ergo qui debita pau-
 peri, cum non sit soluendo, remittit Luc. 7. Maius bene-
 ficium prestiterit, si supra debiti remissionem etiã om-
 nia sua bona quis debitori tradiderit. Longè maius of-
 ficiu[m] fuerit, reum morti addictu[m], à supplicio capitis re-
 dimere, de quo misericordie genere vide Prouer. 24. Si
 hæc omnia magna, immo etiã ineffabilia sunt & immen-
 sa, quis speret se posse animo concipere amorẽ Christi,
 qui hæc omnia nobis tribuit? Insuper etiã seipsum no-
 bis, quos sua morte à morte redemit, rediuuium dedica-
 uit. Admiramur amicitia[m] eam, quæ fuit inter Pyladen &
 Oresten, quorum alter pro altero mori non dubitauit.
 Amicitia talis Damonis & Pythie effecit, vt Dionysius
 Syracusanus optarit se in eorundem amicitia[m] receptum
 iri, vtrique vitam concedens. De qua re ait Valerius: Hæ-
 sanè vires amicitie, mortis contemptum ingenerare, vi-
 tæ dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuafacere,
 odium in amorem conuertere, pœnam beneficio pêsare
 potuerunt, quibus penè tantum venerationis, quantum
 deorum cæremoniis debetur. Sed & illa amicitia vana,
 Damon Pythie opéra, consilio & auxilio opus habuit.
 Neque adedò magnum est, si exemplum huc confera-
 tur, fratres quosdam Carthagenenses facillè passos esse,
 se pro Patrie commoditate vivos humi condi: quan-
 quam inde nomen Phileni sint consecuti. Magnù siqui-
 dem vsque adedò non est, terrigenas facillè sanguine pa-
 trie decus querere, hominem atque adedò humum, pro
 homine, id est, humo mortem oppetere, puluerem pro
 puluere. Immensæ verò magnitudinis est, eum pro ho-
 mine fata subire, qui bonorum nostrorum non indi-
 get, Creatorẽ pro creatura mortẽ perpeti. Christi amo-
 ris erga nos amplitudo item declaratur in hoc, quod nõ
 vnum hominem aut vnã nationem liberauit, sed vni-
 uersum genus humanum. Saluauit vniuersos, saluauit
 singulos, saluauit indignos. Mira lytrosis, diuinæ erga
 nos dilectionis perspicuum adedò argumentum præ se
 ferens. O homo, perpende quid illi debeas, qui est im-
 mensus, & pro te homo factus, pro te quoque est mor-
 tuus. Qui te creauit, te quoque saluauit: qui te redemit
 seipsum tibi quoq; dedit. Et quomodo satis amare pote-
 ris,

ris, quem alioqui non amare non poteris, si nihil horum tibi præstitisset? Nunc postquam præstitit omnia, certè duplici, immò multiplici iure teneris amare super omnia. Et qui omnia ea tibi contulit, saltem amari abs te petit, Rom. 13. Tibi quoque proximi amorem committit. Undè ait Ioannes: Et nos inuicem amare debemus, 1. cap. 4. Quibus hodie sola fides iustificat, egregiè præcæteris, charitatis vincula rumpunt. Quem non catholicorum sacerdotum insectantur? Horum inuidiam rectè experietur, si quis Dei instinctu, & veritatis catholice maiestate compulsus, ab ipsis defecerit. Extrema ea tempora periculosa, quæ apostoli prædixerunt 1. Tim. 4. 2. Timo. 3. 2. Pet. 3. Iud. 1. si iam non instant, nunquam futura dixerim.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Se nostrum amicum re ipsa declarauit, animam suam pro nobis impendendo Matt. 20. Lucæ 10. Ioannis 10. Tunc verò nobis talia beneficia impendit, cum adhuc eius inimici eramus, quos Apostolus Rom. 1. vocat *ἐχθροὺς*. Apostolus Roma. 5. ait: Tunc cum pro temporis ratione infirmi eramus, Christus pro nobis mortuus est. *Charitas facit amicos Dei, atq; aduersus iustos.* Idem ait: Eramus inimici: atqui abluti sumus, sanctificati sumus, 1. Cor. 6. Restat ergò nunc, vt nostram quoque charitatem declarem. Dicis, qua autem hoc re præstemus? Audiatur veritas. Vos amici mei estis, si feceritis ea quæ præcipio vobis. Nunquid solam fidem nobis commendauit candidate & illustrare? Blaspheme nequam, quomodò ausis miseram plebem in perditionis præcipitium hoc seducere solius fidei euangelio? Christi Iesu vnicum præceptum est charitas. Christi Iesu amici, vtique iusti, vnus charitatis obseruatione declarantur. Vos, ait, amici mei estis, si feceritis ea quæ præcipio vobis. Clamabis propediem miser, Domine aperi, & respondebitur tibi, Nescio te. Quare autem te credulum nesciat, qui Dominum Iesum subindè crepat? quòd amicus eius non existas. Fac, etiam mortuos in nomine Iesu plena fide excitaueris, montesque transtuleris, non tamen cognosceris. Hic nè impia cogitatio subrepat, quasi mandatum charitatis vniuersale non sit, audi Mattheum 28. dicentem verbis Christi: Ite, præ-

dicare euangelion omni creaturæ, & baptizare credentes, docentes eos seruare mea præcepta. Huc pertinet illud Ioan. 1. c. 5. Hæc est charitas, vt mandata eius obseruemus, & mandata eius seruatu grauiam non sunt. Iterum atque iterum summa obserua diligentia: amicitiam quæ nobis cum Christo communis intercedit, per facta declarari petit. Sic etiam dicit cap. 13. In hoc cognoscet vos meos esse discipulos, si præcepta mea seruaueritis. Item ibidem: Beati estis, si hæc feceritis. Ad eò confirmatio fidei iustificationis ex ipso æstimanda est opere. Non confidunt electi in baculo arundineo operum suorum, pharisaicum supercilium attollentes, sed se etiam in medio optimæ vitæ accusantes, Luc. 17. Cæterum confidunt in solum Deum cæli, Psal. 2. 123. Sic se habet salutis degradatio: Primò fides, dein charitas, postea charitatis opera, postremò humilitas & spes. Amicis subdolis, dicentibus saltem, Domine Domine, etiam miracula edentibus, dicit: Nescio vos. Benè operantes nouit, vtique ex opere. Illa ergò amicitia operosa ritè sperat, 1. Ioann. 4. Amicitia fidutiam parit. In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt fidutiam habeamus in die iudicii, 1. Ioannis 4. Et Abraham ex operibus amicus Dei est declaratus, Iaco. 2. Filioli ergò, ait Ioannes, cauete vobis à simulacris, simulatoribus, impostoribus, speciem scientiæ præferentibus, sed à veritate catholica, quæ sola vera & indubia est, deficientibus.

Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quacunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Dixit discipulos suos quoque amicos. Nunc amicitie veritatem per aliud quoddam argumentum declarat. Primò oppoñit nomen serui nomini amici. Sic & Ioan. 8. nomen serui & nomen filij oppoñit, dicens seruum in æternum in domo non permanfurum, sed filium. Item liberos dicit esse eos, quos filius libertati assèrnerit. Hoc tropo- & Apostolus dicit, Fideles non esse hospites & aduenas, sed domesticos, Ephes. 2. Seruorum quoque & amicorum longè alia est ratio, alia conditio. Amicus est alter idem, nec poterit aliquid æquè esse homini iucundum, quàm habere cui sua consilia ausit credere omnia. Et qui regibus à con-

Degradatio salutis.

Charitas fidutiam parit.

Apostolorum gloria.

filiis sunt, licet serui sint, tamén propter consiliorum communicationem, ab aliis seruis syndulis proximè & secundùm regem cohonestantur. Apostoli quoque sunt serui Domini, 1. Cor. 4. Posthac verò sedebunt super sedes iudicantes cum Christo, Lucæ 22. Adde quòd & omnia regni sui arcana illis manifestauit, Eph. 6. Coloss. 1. Quis ergò non videat, apostolos, quanuis etiam sint serui, præcipuo honore à Domino affectos? Admone-mur itaq; eos honore & fauore summo prosequi, quos Deus, nobis tali honore afficiendos, amicitia sua dignatus est. Ardua est amicitiaè cõsideratio. Philian, hoc est, amicitiam è medio auferre, est solem (vt ait Cicero) è mundo tollere, quia amicitia nihil habemus melius, nihil iucundius. Amicitiam parit amor atque fauor, quod etiam vocabulorum deriuatio & proprietas declarat. Amor, ex quo amicitia est nominata, princeps est ad beneuolentiam coniungendam, dicit philosophus ille. Vi-des ergò, qua ratione Dominus quoque amicitiaè hic mentionem fecerit. Dixerat de amore, dicit ergò etiam de amoris affectu. De qua re ait Cyrillus: Quid maius, quid clarius, quàm Christi amicum & esse & appellari? Excedit hæc dignitas naturæ humanæ terminos.

Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructũ afferatis, & fructus vester maneat vt quodcũq; petieritis patrẽ in nomine meo, det vobis. Et ac mãdo vobis, vt diligatis inuicẽ. Dignitatem suorũ amplificat, amicitiam eam quæ illis secum est, certam & perpetuam ostendit. Certa hoc magis est sacra ea amicitia, quo minùs humano aliquo affectu est conciliata. Certum est Depositum, quod habemus apud Deum. Certa est amicitia, qua nos elegit, & in dilecto suo amauit, vel ante constitutionem huius mûdi. Accedit huc functio illa celebris. Alibi ait: Sicut misit me viuens pater, sic & mitto vos. Non com-mendo vobis friuola, sed summa. Vt eatis, ait. At quor-sum? In vniuersum mundum, Matt. 28. Marc. 16. Mundo & missus saluator mundi Iesus: Missus in hunc mundũ, præcepta patris huic mundo declaratum, Ioan. 20. Non ab re dedit illis omnium regni cælorum sacramento-rum agnitionem. Quos suos voluit esse vicarios & co-operarios, eos etiam arcanorum omniũ voluit esse sci-

Apostolo-rum glo-rie ampli-ficatio.

*Ecclesia
Stabilitas.*

os. Ut fructum afferatis, & fructus vester maneat, hoc est, ecclesiam in æternum permanfuram ædificetis. Theologiæ scholasticæ & ecclesiæ catholicæ commendatio, est in hoc verbo, Maneat. Hæreticorum colluuius ut apud Deum est abominabilis, ita & minimè est durabilis. Euanuit Aëtianus: disparebit etiam euangelicus, sola sibi fide aded placens. Euanuit Manichæus: dilabatur etiam hæresis, homini libertatem arbitrij, ac per hoc rationem meriti, auferens. Perit Vigilantius, sanctorum cultum impietati adscribens: interibit etiam Martinianista, idem euangelion olim ab ecclesia catholica damnatum, excitans. Verbum Domini manet in æternum. Veritas Domini manet in æternum. Ecclesia Christi manet in æternum. Fructus etiam intelligi possunt apostolorum meritum. Neque enim huiusmodi vnquam obliuiscetur Christus. O felices carphori, O pulchros pedes euangelizantium & prædicantium pacem. Non est pax impiis, dicit Dominus. Christus operosa, læta & fœcunda, vitis. In Christo qui est fructuosus palmes, eum cælestis agricola putabit, & ad copiosiores fructus proferendos præparabit. Amantes Dei, vias eius obseruant. Eccles. 2. Item, Amantes Deum, replebuntur lege ipsius. Psal. 90. ait legislator Deus: Liberabo eum, quoniam dilexit. Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio: Præcepta omnia charitas operatur. Summa: Charitatis experts, impius est: & tam non est Christianus, quàm non est cadauer homo. Vndè sua nobis commendans præcepta, charitatis subindè priùs facit mentionem, Deute. 10. & alibi sæpè. Dicant euangelici nostri mollissimi, charitatis opera factu esse graua. Sed si res rectè consideretur, apparebit charitatis opera minùs homini esse onerosa charitate prædito, quàm alicui volanti suæ sunt oneris alæ atque plumæ. Summa: charitas omnia opera facit leuia factu & iucunda. Non facit malum, sed tegit illud. Bonum operatur, & in ipso nihil gloriatur. Aded verum est quod Ioannes ait: Deus est charitas: qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hanc sacram virtutem concedat nobis vnctio ipsa,

Amen.

DE S. BARTHOLOMAEO,

Ioan. 15.

Hoc est praeceptum meum, ut diligatis &c.

¶ Sectio.

- 1 *Charitas.*
- 2 *Humilis.*
- 3 *Exaltat.*

¶ Declaratio.

1 *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis inuicem, &c. Sola fides, est ociosa fides: mendacium atque impostura non saluat. Charitas enim nobis praecepta est credentibus in Christum. Si sufficeret sola fides, charitas nobis non praeberetur. Praeceptum habet emphasin sup. 13. dicitur praeceptum nouum, ne in vetustate maneamus. Hoc dicitur praeceptum Christi Domini nostri, ne contemnatur. Vt haereticis, quia etiam si omnem habuerint fidem, charitatem verò non habeant, nihil erit illis sola illa fides vtilis, 1. Cor. 13. Exemplum addit, Sicut dilexi vos. Exemplum succurrat nobis semper. Adspiremus ad ipsum, conemur omnibus modis, ut ad ipsum pertingamus. Exempli declaratio, Maiorem hac dilectionem nemo &c. Rom. 5. Commendat nobis suam charitatem. Eph. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Hier. 12. Reliqui domum meam &c. In epistola ad Hebr. 12. Non redemit nos auro vel argento. Charitas non est ociosa, fortis ut mors dilectio. Amanti nihil difficile. Commendatio operum charitatis. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego &c. Vt haereticis qui sola fide putant se amicos, dicitur illis, Nescio vos. Non diligamus verbo neque lingua, 1. Ioan. 4. Operum charitatis alia commendatio à merito. Illuminationis maioris gratiam merentur opera charitatis. Habenti dabitur. Amicis omnia manifestat. Qui sordet, sordescat adhuc.*

2 *Non vos me elegistis &c. Humilis vera charitas non esse nõ potest, quia querit gloriam eius quem amat. Non vos (ait) me elegistis &c. Quis prior dedit illi, & retribuatur ei? Nunquid gloriabitur securis contra eum &c. Esa 10? Obserua duplicem esse electionem. Aeternam, & temporalem. Hac dicitur vocatio, illa electio. Multi vocati, pauci electi. Electio est gratuita, hoc magis diligendus Deus, hoc etiam magis diligendus proximus, quippe quòd eum Dominus elegerit ab aeterno. Attende, charitatem nostram hoc in seculo esse imperfectam. Nemo ergò sese efferrat.*

3 *Fructum, ait, offeratis, & fractus vester maneat. Apostolus*

ait: *Certum se esse de deposito suo, quia fidelis Deus, quia non obli-
uiscitur boni nostri operis, teste eodem. Quodcumque petieritis. Ec-
ce stabilitur intercessionem sanctorum pro nobis. Hoc eorum est
premium. Non refert quod mortui sunt, quia verbum non est
mortuum, sed manet in aeternam.*

IN FESTO NATIVITATIS B. MA-
riæ virginis, epistolaris lectio Eccle. 24.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei
fructus honoris & honestatis, &c.

P R A E F A T I O.

*Reforma-
tores eccle-
siae Lute-
rani vanis-
simi.*

Cum venia Reformatorem reformandorum, hanc
lectionem Iosue Siraci, in beatae virginis Mariæ
natali Romana pergit legere ecclesia. Noringen-
bergeses & Vuittenbergeses abrogauerunt hanc fe-
stiuitatem, tanquam papisticam vanitatem, vani & pro-
phani apostolatri, Apostolatri si tamen dici possunt,
qui apostolorum traditionibus, & apostolicorum viro-
rum sanctis consuetudinibus obstrepunt, & ex diame-
tro pugnant. Prophanum illi condemnant, quod in om-
nibus omnium temporum ecclesiis fuit sacrosanctum.
Scilicet apostolatri & euangelicatri noui, atque per
hoc digni, quos omnes ecclesiae omnibus sanctis retrò
temporum præferant. Erubescant miseri, & quod teme-
rè abrogauerunt, poenitentiam dignam agendo, rursus
prorogare incipiant: atque id tanto diligentius, quanto,
pios ritus & solennitates ecclesiae salutare abrogan-
do, peccauerunt grauius. Hoc nisi præstiterint, abroga-
bit eos & eradet nomina eorum de libro vitæ Iesus Ma-
riæ filius, corona sanctorum, qui ait: Vbi ego sum, ibi
erit etiam minister meus. Qui mihi ministrat, honorifi-
cabit eum pater meus. Ecquid peccauit ecclesia, nata-
lem Mariæ celebrando, quæ nisi nata esset, natalis Chri-
sti adhuc esset expectandus? Oportuit secundum ordi-
nem fati & secundum prophetarum oracula, primò
præcedere natalem Baptistæ: quis ergò non videat,
Mariæ matris natalem itidem præcedere oportuisse? Et
si propter Christi natalem, Baptistæ celebratur: quare
non celebretur natalis genitricis? Quod dicunt, lectio-
nem præsentem non pertinere ad matrem, errant. Mul-
ta enim in scriptura sunt propriè dicta de Christo, quæ

*Scriptura
multa lo-
ca de Chri-*

etiam de matre, de baptista, & de sancta matre ecclesia accipi possunt. Quod in natalibus Baptistæ, & in festo Assumptionis Mariæ, luce clarius fecimus. Pudet, pigetque me contra ineptos pluribus agere: qui si frontem & os habent, ineptiarum suarum ipsi pœnitebunt. Siu, plus satis actum est. Nos non præfractis, sed piis & electis hæc præmissa diximus: & porro ea quæ in lectionem sanctam dicturi sumus, dicemus. Dominus Iesus ad suam laudem os nostrum aperire, sensusque nostros illuminare dignetur.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei, fructus honoris & honestatis. Sapientia æterna, Mariæ virginis proles, suum hic encomium canit, è minori vsu & commoditatem sui declarans. Odorem florum vineæ quis non admiratur? Sed si tantus florum odor, quantus putas erit fructus sapor? Vinum, lætificat cor hominis, vinum ab initio in iucunditatem creatum est. O vtinam impij gaudium cordis piorum videre possint. Putant insaniam esse, quando vident electos ridere huius mundi gloriam, & contemnere huius mundi Dominorum & minas & blanditias. Si huius vitæ tanta in electis est consolatio, qualem & quantam credemus esse cælestis patriæ gloriam? Si in exilio, in valle lachrymarum tanta in electis sunt gaudia, quis non videat immensa esse omnia, quæ prædicantur de æterna gloria? De hac re vide Esa. 6. 1. Cor. 2. Regina Sabæ videns gloriam domus Salomonis, spiritum ultra vllum non habuit, 3. Reg. 10. Nonne Christus verus Salomon? Quæ comparatio Salomonis filij Bethsabeæ adulteræ, & Salomonis filij virginis Mariæ? Tam ille Salomon hoc est minor, quam ovis fœtus immundæ pecudis, vilior est agno patris cælestis. Quis ergo non obstupescat, & planè exanimis fiat, domus huius Salomonis, Mariæ proles, Dei agni, statum & gloriam considerans? De maiestate ecclesiæ vide Proverbio. 9. Nempe ibi vides sapientiæ domum septem columnarum firmatam munimine. De gloria regni cælorum, vide Apoc. 1. 2. 3. 11. 22. Christus vitis, nos palmites: per Christum fructus edimus. Opera bona non sunt nostra, sed Christi. Neque enim per nos dicere possumus, Dominus Iesus, Ioann. 15. Facebat ergo hære-

sto & Ecclesia, etiã de Christi genitrice possunt intelligi.

Sapientia æterna in canon.

Gaudium ecclesiæ mundus videre nequit.

Opera bona, quatenus Christus sit sunt, iustificatio sunt.

sis, quæ bona opera iustificatoria & vitæ æternæ meritoria esse negat. Christus est vitis, pij palmites: vnas igitur & vinû vitis Christi, quis peccaminosa & iustificandi virtute vacua esse dixerit? Cauere cauete Sirenes, ô pie animæ: immo in hoc inuigilate, vt hilariter & largè fermentem faciatis. Quod enim homo hic seminauerit, illic mesurus est, Gal. 6. Illuc thesaurum suum condere, tutum est, Mat. 6. Apostolus itaque certum scit, sibi suum ibi esse depositum.

Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Verba pleraque huius loci, quanquam in Græco exemplari non habentur, asteriscis signata à verboribus adiecta, nolumus erasa: memores, S. Patres olim non minus per spiritum sanctum scripturam sacram ex Hebræo & Græco in Latinam linguam transtulisse, quam eam olim hagiographi per spiritum sanctum literis commendarunt. Habet enim ecclesia æquè, atque synagoga, suos prophetas & doctores, Ephes. 4. Mirum, quam verba præsentia veritatem fulciant, quantumque ponderis habeant. Præuenit spiritus sanctus hæreticorum nænias, charitatis fructibus derogantes. Charitas hic in capite ponitur, charitas hic apto decoratur epitheto. Pulchra siquidem vocatur dilectio. Rectè pulchra, quoniam informia sunt omnia opera charitate vacua. Etiam fides sine charitate, dicitur informis. Bernardus vocat charitatem vitam fidei, vndè viuat & vndè vita dicatur. Et rectè hoc, cum fides ipsa citra charitatem & bona opera mortua sit in semetipsa, vt verbis loquar sancti Iacobi. Bernardus item dicit epistola 42. sine charitate neminem posse saluari. Qui enim in charitate manet, ille tandem in Deo etiam manebit, cum ad credulos dicitur: Nescio vos. Tertullianus in libro de pœnitentia, ait: Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus est. Theophylactus quoque dicit, Charitatem omnibus boni matrem. Iterum: Cessantibus in alia vita omnibus aliis spiritus sancti charismatibus, sola manet charitas. Irenæus item, Charitatem cæteris Dei donis omnibus præponit. Idem etiam facit Apostolus. Vides item non errare Ecclesiasticum, quod charitatem hic in alio-

Charitas fructibus derogantibus in scriptura præuenit.

Charitatem ecclesiasticus cæteris

rum Dei donorum caput posuerit. Bernardus vt vocat
 charitatem fidei & omnium bonorum matrem, sic ere-
 gionè Prosper charitatis carentiam, vocat fontem & o-
 riginem omnis mali. Rectè hoc : Nam & Iacobus idem
 facetur, dicens: Cum totam legem seruaris, offendas vero
 in vno, noris te omnium esse reum. Vtique quod chari-
 tatem non habeas. Et Apostolus ait, Charitatem non fu-
 rari, non adulterari, malumque nullum operari. Et hoc
 præclare ab Augustino est dictum, Sine charitate remis-
 sionem peccatorum sperari non posse. Item, fidem sine
 charitate esse posse, sed inutile, de Trinitate lib. 15. ca. 18.
 Cæterum etiam, secundum Basilium, fides theologiæ est
 exordium. Sequitur in textu: Sapientiam quoque esse ma-
 trem timoris. Timor excellit omnia, Eccl. 25. Qui timet
 Deum, declinat à malo. Dicit ergo Nehemias se populo
 grauem non fuisse, propterea quod Dominum timuerit,
 ca. 5. Tobias docet filium, vt à puero Dominum discat
 metuere, & sibi à peccatis cauere. Dein dicit, Sapientiam
 esse genitricem agnitionis. Vndè mundus agnoscit De-
 um? Caro & sanguis, ait ad Petrum non reuelauit tibi,
 sed pater meus qui est in cælo. Huc facit hoc Bernardi:
 Intonat tuba (puta euangelij) salutaris, coruscant mira-
 cula, & mundus credit. Precatur & ipsa sapientia, vt pa-
 ter mundo sui agnitionem annuat, se nimirum verum
 esse Deum, & Iesum quem misit, Ioann. 17. Per illum tan-
 dem cognoscemus facie ad faciem, quemadmodum ille
 nos agnouit, 1. Cor. 13. Sequitur: Et sanctæ spei. Sapientia
 quoque spei est mater. De hac spe, quæ est fiducia & sen-
 sus gratiæ Dei, dicitur etiam 4. Reg. 18. vbi de baculo a-
 git arundineo. Idem in multis habet psalmis, nempe om-
 nem spem nostram esse vanam, nisi ex Deo profecta sit,
 & ad Deum tendat. De spe vide Rom. 8. Ephes. 2. Phil. 1.
 Tit. 1. 2. Sancta vocatur item conuenienti epitheto, quia
 prouenit ex gratia & bonis operibus, vt habet liber Sen-
 tentiarum. Sancta item, quia ad sanctum sanctorum vn-
 dè profecta est, tendit. In me, ait, gratia omnis viæ & ve-
 ritatis, in me omnis spes viæ & virtutis. Audite, qui ec-
 clesiis prælati estis, episcopi & pontifices. Audite, &
 verbi negligentiam corrigite. Nisi adsit interpres, ta-
 ceat qui loquitur linguis. Veritati cedat consuetudo

*Dei chari-
 tatis
 præposit.*

*Timoris
 Dei præ-
 dicatio.*

*Christus
 clavis Da-
 uidica.*

*Sapientia
 spei est ma-
 ter.*

*Sapientia
 atq; adeo
 diuina elo-
 quia conti-
 nent in se
 omnem gra-
 tiam vitæ
 & virtu-
 tis.*

praua. Scriptura sacra, & non consuetudo diutina, facit ad eruditionem & ad correptionem. Hic Lydius est lapis, huc conferte ritus & consuetudines. Huic si consentiunt, prorogate: sin minus, ad normam & præscriptum omnia reformate. Hic enim veritas, spes, virtus & vita. Ioannis decimoquarto. Attendite vobis & vniuerso gregi. Videte quæ pabula gregi Dominico apponatis. In omni verbo quod procedit ex ore Dei, viuunt homo, Matthæi quarto, Deutero. sexto. Verbum plenum gratia & veritate, Ioannis primo. Rectè ergo nostra spes dicitur sapientia, atque per hoc verbum sapientiæ, Psal. 70. 141.

Sapientia non quoscilibet vocat.

Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Tantum abest vt nos à se sapientia arceat, vt magis vocet & alliciat. Sed obserua quos præcipuè vocet. Non superbos & fastidiosos hæreticos, quorum amentiam fastidit sapientia Dei ea quæ casta est, quæ humilis est, quæ tractabilis est, & bonis operibus non aduersa, Iacob. 4. sed esurientes & sitientes. Talibus saturitatem promittit, Math. 5. Luc. 2. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Simili suo omne simile gaudet. Agnus Dei humilimus, oculos sublimes non amat. Mitis est & humilis, qua re quid amabilius? quid sponso nostro pulchrius, agnelli vellere vestito? Pulchra est & mitis, Psalm. 44. A generationibus meis adimplemini, siue de fructibus meis saturabimini, ait.

Gennemata, i. generationes seu fructus sapientia, que.

Sed quænam gennemata (sic enim habet Græcus) sunt sapientiæ? Audi ea quæ supra suas recensuit filias. Charitatem pulchram, timorem, agnitionem, sanctam spem, &c. Quid tale potest dici de consuetudine? Damus plerimum apostolicis traditionibus. Sed obsoletas abusibus, sed oblitas negligentia ingemiscimus, & succlamitamus: Expergiscimini expergiscimini speculatores cæci, canes muti, pastores idola. Eccè manus Domini extenta. De negligentia verbi pœnam accipiet. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.

Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauam, & memoria mea in generatione seculorum. Quid vomitui cum manna? Quid turbidæ vndæ cum lymphida aqua fontis vitæ? Doctrinam nos synceram & sanam re-

quirimus. hæc est orthodoxa, rectè gloriosa. Spiritus sanctus loquutus est per prophetas, spiritus sanctus loquutus est per Apostolos, Euāgelistas, doctores, pastores & ecclesiæ rectores. Spiritus sanctus dulcis amor, hi per quos spiritus loquutus est, itidem ipsa sunt dulcedo. Viderint hæretici, quale fel misceant tantæ dulcedini. Viderint socordes prælati, quale virus abusu, nobis zaccarum spiritus sancti esse persuadeant. Succreuit hæresis, succrevere etiam abusus. vna cum bono semine apparet quod sit aconitum, & quæ ambrosia. Non persuadebitis, vt nunc porro cicuta pro nectare sumatur. Pœnitentiam igitur agite vos hæretici, vos ipsos etiam corrigite & reformate negligentes ecclesiæ magnates. Quam suavis est Domine spiritus tuus, ait Sapiens: Mnemosynon eius in generatione seculorum. Verbum Domini manet in æternum, Veritas Domini manet in æternum. Cæterum omnia prætereunt † ab usu. Quid ergo abusus vel canonum prætextu, veritati & verbo Dei præfertis, miseri ecclesiæ rectores? Et quid vestra somnia & exotica dogmata, primitiæ ecclesiæ professioni & religioni præfertis miseri Luterani? Memoria sapientiæ Dei, non incipit iam primum circa annum Domini 1520. sed à generatione est seculorum. Paulistinæ nostrates gloriosi, multa identidem scribunt de arrhabone spiritus sancti: sed hunc nesciunt orthodoxæ doctrinæ sensum catholicum, non epistolam papyro vel membranæ inscriptam calamo & atramento, sed librum viuentem, conscriptum in corda hominum digito Dei viuentis. Hunc, inquam, arrhabonem si in Paulo ritè obseruassent, eo temeritatis nūquam peruenissent, vt contra præclarum eum librum scribere præsumpissent. Omnis consummationis vidi finem, dabit is quoque malis Deus aliquandò.

Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

Eucharistias sacræ hic audis testimonium, quale etiam *Eucharistia sacræ encomion est apud Iesum filiū Siraci.* habes Psal. 110. Huc pertinet quod Sapiens ait: O quam dulcis est spiritus tuus Domine. Vide tu, an consentiant sibi hic locus, & ille qui est apud Ioan. cap. 6. Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. Similia ferè vides Ioan. 4. Non est hic cibus, vt manna, putrescibilis & corruptibilis: sed cibus angelorum, omni carens carie

Arrhabo spiritus sancti quis.

& corruptione: quia Christus nō moritur in æternum, quia de celo descēdens, in cęlo manfit. Verum est, etiam hunc cibum propriē debere accipi de verbo, iuxta hoc: Verba quę ego loquor, spiritus sunt & vita. Item, Qui credit in me, non sitiet in æternum. Qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam, &c. Sed verbum & caro, vna sunt persona, vnus Christus, verus Deus & homo. Possunt ergo præsentia verba omnia, etiam intelligi de sacra eucharistia. Nos vero hic de verbo agemus iuxta literam. Qui verbum gustauerit mente pura, postea nunquam deliciarum Aegyptiacarum vexabitur cupiditate: Ad fermentum pharisæi nauseabit, Panem furtiuum meretricis hætesios fastidiet. Micas verbi Dei vel minimas, in magno precio habebit. Nullum iora, nullum apicem ociosum scriptum credet. semper sibi dicet: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Vtrunque cibum qui semel gustauerit, dicet cum propheta: Satiabor cum apparuerit gloria tua, Psalm. 16. Quia ibi non est amplius neque sitis, neque esuries, Apoc. 7. Rident porci Epicurici Sardanapalite hæc verba sapientiæ: sed nos ea quę sequuntur, contra irrisores eos obseruemus.

*Verbi Dei
gusti, quid
faciat in
homine.*

*Veritas ca-
tholica
nunquam
padesiet.*

Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, nō peccabunt, qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Credite veritati charissimi, audite veritatem qui non vultis pudesceri. Sed sic audite, vt etiam custodiatis. Quomodo verò custodiatis, quæritis? Faciendo hoc quod veritas vobis præscribit. Sic possunt hic legi verba periodi secundæ: Vñ vuelch durchmich vviclen, vverden nicht fundigen. hoc est, Qui per me operantur, non præuari cabuntur. Idem dicit veritas: Qui me sequuntur, non erabunt, sed habebunt lumen vite. Idem sensus est: Qui audit me, & qui operantur. Vnde maluit vetus verfor, variata translatione, sensum explicare. Non reiicienda est lectio. Qui operantur in me: hoc est, qui scrutantur scripturam, & qui elucidant oracula sacra sic, vt ad iustitiam erudiant multos. Hi secundum Danielem fulgebunt vt splendor firmamenti. Hoc est quod hic dicit, non confundentur. Idem est, non peccabunt. Hæretici peccant, non ad iustitiam & veram religionem,

non ad Christianam obedientiam & disciplinam, sed ad sectas & ad inobedientiam docendo: pudeſcent ergo. Nemo ergo hæreticis obſistere cunctetur, qui obſiſtentes ſibi, perſequuntur. Audiant qui perſecutionem ſuſtinent, quod Eccleſia dicit: Coronantur & accipiunt palmas. Teſtis Eſaias quadreſimo quinto, quadreſimonono. Matthæi quinto. Roma. decimo. Fides non pudeſcit. Fides verò per verbum Dei, Romano quinto. Verbi verò veritas, argumentum ſuum habet in factò & iuſtitie executione, Iaco. ſecundo. Si hoc feceritis, ait ſanctus Petrus 2. cap. 1. non labemini, intellige, in peccatum. Qui in Chriſto manet, non peccat, primè Ioan. primo. Palmes oportet vitem referat ſuam, Ioan. decimo quinto. Sic dicit ad Heli ſacerdotem: *Mecabdar acabbed*, hoc eſt, Qui me honorificant, honorificabo. Honorificant præcipuè verbi miniſtri orthodoxi, honorificant omnes qui timent & mandata eius obſervat. Illos non vult pudeſcere. Min⁹ dicit, & hoc intelligit, quod Sapientia exponit, dicēs: Honorificabit eum pater meus. Maria virgo Martham referens & Mariam in vtraque re, hoc eſt, in doctrina & imitatione plus omnibus laboravit. Mater & miniſtra. Filium ergo elucidat, qui matrem ritè prædicat. Hoc qui facit, vitam æternam habebit. Faxit Deus, ipſum hoc præſtemus, Amen.

Hæretici verbum contra veritatem catholicam docentes, non pudeſcere non poſſunt.

Verbi Dei veritas ſuò verbi habeat argumentum.

IN EODEM FESTO NATIVITATIS BEATÆ MARIE, EUANGELIUM. MATTH. 1.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius, &c.

P R A E F A T I O.

Sancti euangelistæ Lucas & Matthæus, Chriſti generationem deſcribentes, ſecuti ſunt exemplum ſynagogæ. † Receptum fuit in ſynagoga, genealogiarum nomenclatura. Vnde extat liber Moſis, Numeri inſcriptus, hæc rem vnicè cõtinens. Ezras quoq; genealogias & ſtemmatum Iſraeliticorum catalogum eſt proſequutus, cap. 1. & 8. Inſuper idem ſacerdotes, ſuos maiores dinumerare non valentes ex ſtirpe Leui, expunxit omnes. Et ethnici in dinumerandis maioribus valde fuerunt diligentes. Vide Homeri Iliados 5. & 20. Diogenes Laër-

Libri genealogiarum rationis Chriſti, cõmedatio.

tius incipiens vitā Platonis, accuratè item hanc rem tra-
ctat. Hic Sarpedon Iouis sanguis esse cōtendit, Achilles
Herculis genus se esse iactat, Alcibiades Aiacem atavū
suum recenset. Genealogiarum istæc iactantia, ab ethni-
cis etiam irrepfit in Christi ecclesiam. Principes nostri
Quirites, Quirites Dardanides, Laomedōtiades Divos
suos progenitores cōmemorant. Omnia vanitas vanita-
tum. Faciamus esse, gloria nataliū aliquid sit: ad Christi
verò propaginem collata, fœtor erit. Christus arboris
consanguinitatis flos immarcescibilis est odorem vitæ
redolens. Sola ergo eius stirps verè nobilis est habenda.
Longè ergo generis atque originis ethnicorum alia est
ratio, ac Iudæorum. In ethnicis nihil nisi vanitas & su-
perstitiosa gloria, consideratur. In Iudæis, veritas & glo-
ria Altissimi mortalibus commendatur. Debit certa
stirpe nasci veritas, debuit præclara prosapia nasci Sol
iustitiæ. Non obest quod Apostolus Heb. 7. Melchise-
dek ἀγνι αλόγητος facit, quia Melchisedeci typus ad dei-
tatis mysterium spectat. Hoc nomine & Christus est
ἀγνι αλόγητος iuxta hoc Esa. 53. Generationem eius quis
enarrabit? Quasi dicat. Nemo. Est enim Deus ineffabilis,
incompræhensibilis, immensus, neque principium ha-
bens, neque finem. Verum secundum humanitatem ob-
scurus & ignotus nasci non debuit, qui ex medio Israel
secundum oraculum Moïsi nasci debuit. Calumniæ itè
insanorum Iudæorum, sic erant ressecadæ. Denique mor-
taliū gloria confundi debet Christi gloriosa genea-
logia. Iudæi sese, iuxta atque ethnici, de maiorum suo-
rum nobilibus extulerunt natalibus: quod vides in epi-
stolis Pauli ad Timotheum & Titum. Sed quid est car-
nis gloria, cū etiam peccatores reperiantur in Christi
prosapia? Et quare ex carnis & sanguinis iure quis sibi
dominium arrogat, cū Christus ex nobilissima om-
nium stirpe natus sit, servulus omnium?

Liber generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham.

Fratres qui ex Iudæis sunt, eia quàm hoc verbo affi-
ciuntur. Sed & ij qui ex ethnicis sunt, similem affectum
haurire possunt ex Luca. Abraham & David præ cæte-
ris insignes Iudæorum genearchæ. Non Enochus, non
Noemus, non Elias, non Esaias, non Daniel, apud

*Abrahā
& David
principi
• genearchæ*

Iudæos tanti sunt, atque hi duo. Vnde Matthæus hos præcipuè ponit Iudæorum protogenes. Sequitur euangelista hic noster Mosen, nisi quòd pronomen Ze omit- tit. Sic enim habet Moses: *Zesepher tholdoth Adam*, hoc est, Hic liber generationis Adæ. Euangelista verò scri- bit: *Sepher tholdoth Iesua ha Meßiah*, Liber generationis Iesu Christi. Perfectus tamen titulus est Euangelij de secundo Adamo, cuius protoplastus ille fuit typus, Ro- mano. quinto. Et hoc obseruandum, gloriosius esse, Da- uidis esse filium, quàm Abrahamæ. Iudæi omnes dicun- tur filij Abrahamæ, Matthæi tertio. Ioan. octauo. Sed non omnes filij Dauidis dici possunt. neque enim à Iudæ li- nea prognati omnes. Dauid verò ex Iudæ fatus germine, regium splendorem huic genti intulit. Hieronymus ex- cusat euangelistam, quòd Dauid a Abrahamo prætule- rit. Meritò tantus rex propter regiam amplitudinem & maiestatem, ad Christi diuinitatem potissimum referen- dam, præfertur. Series per hoc non conturbatur nata- lium Christi. vtrique enim hoc ostenditur, quòd se- cundum humanitatem vtriusque nepos existat. Abraham dictum est Genes. vicesimo secundo. In femine tuo be- nedicentur omnes gentes. Semen autem hoc non est Isaac, sed Christus, Galat. tertio. Dauidi dicitur Psalm. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Neque fructus is Salomon, sed Christus, Act. secundo. Propter has potissimum promissiones, Abraham & Da- uid Christi genealogiæ auspices ponuntur. Cæterùm quatenus Deus, non Iudæorum solus est Deus, vt acutè disputat ad Romanos Apostolus, Christus Saluator mū- di, apud Lucam filius quoque Adæ declaratur. Sed nos euangelistam nostrum nunc audiamus.

*Dauidisfi-
lium dici,
gloriosum
valde est.*

*Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob au-
tem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares &
Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom au-
tem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Ami-
nadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.
Salmon autem Booz, de Rabab. Booz, autem genuit Obed
ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Da-
uid Regem. Catalogum præsentem sanctorum patriar-
charum stirpis CHRISTI, tripartiendus secun-*

*Genealogia Christi diligentius conscrip-
pta.*

*1. & Secundæ
patriarcharum.*

dum ipsius Euangelistę verba, quę se sic habent: Vniuer-
sę generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generatio-
nes quatuordecim: & à Dauid vsque ad demigrationē
Babylonicam, generationes totidem: & à transmigra-
tione Babylonica vsque ad Christum, generationes itę
quatuordecim. Attende euangelistę diligentiam, certę
haudquaquam absente mente tam expresse & clare lo-
quitur, Christi genealogiam conscribens. Tres quater-
denarij, faciunt vnum quadragenariũ & duo. Tor (hoc
est, quadragintadu) fuerunt patriarchę, reges, atque
duces, ab Abraham vsque ad Christum, Liber siue cata-
logus hic progeniei Christi, aliquot annorum chilia-
des compręhendit, nempe tempus ab Abraham vsque
ad Herodem, sub quo natus est Christus. Primus qua-
terdenarius, in libris Mosis, Samuelis, Ruth & Paralipomenon. Genesis. 21. dicitur de natis Abraham, 25. de
Isaac, 29. de Iacob, 38, de Phares & Zara. Item in libro
Ruth & primi Paralipo, 2. Isai siue Iessę congerminat-
io exactissimę dinumeratur, ferę iisdem verbis, quibus
hoc loco vritur euangelista. In libro potissimũ Ruth,
legis cap. 4. Hęc sunt generationes Phares: Phares ge-
nuit Hefrom, Hefrom genuit Ram, Ram genuit Aminadab,
Aminadab genuit Nahafon, Nahafon genuit Salma,
Salma genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit
Isai, Isai genuit Dauid. De Iesse & Dauid plura nota-
tatu digna, memorię tradidit Samuel primo & secundo
libro. Sacerdos legat ipse. Locus quidę esset hic sacras
eas historias commemorandi, sed tempus non patitur
eam prolixitatem. Opere precium esset, biblia publicę
vndique ę suggestis ecclesiarum declarare: omnia enim
propter nos memorię sunt tradita, Roma. 5. Catholicus
scriptor Beda librum generationis Iesu Christi primõ
tractat allegoricę, deinde ethice. Interpretatur singula
nomina. ex omnibus tandem vnum conficit Christum,
hoc est declarat Christum omnia esse & prestare, quę
in nominibus vniuersis illis significantur. Non inutilis
labor, si Beda plus Hebraicę doctus extitisset. Idem de-
nique ex omnibus nominibus illis, verum Christianum
statuit hominem: hoc est, ostendit ad verum Christianũ
requiri, vt omnia ea habeat, quę nomina præmissa præ
se ferunt.

se ferunt. Ambrosius in Locam, sanctè genealogiam Christi tractat. Præcipuè est illi cordi, tres mulieres, Thamar, Ruth & Bethsabeam, de meliori nota commendare. Benè eas apud omnes vult audire, propter virtutis exemplum, & fidei nostræ sacramentum. Nos literaliter in hac sacra lectione primò inuenimus fidei nostræ robur. Tot annorum secula, veritatem Dei abolere non potuerunt. Sed semper in omni tempore fidelis inuentus est, Rom. 3. 2. Tim. 2. 1. Ioan. 1. Hic colligere poteris, coniugium esse sanctum & honestum omnibus, Hebr. 13. Hic vides, Deum virtutum esse & amatorem & coronatorem, iustum & clementem, & hoc genus multa, quibus consideratis, non poteris non dicere, Sancta genèsis. Confundatur hic Iudæus, qui nostrum Sotera ore blasphemio vocat fabrum & fabri filium. Est noster Messias Rex regum, virga Iessæ, ea in qua requiescit spiritus sanctus. Scilicet & faber, qui Ecclesiam sibi statuit, synagoga euersa, Matt. 23. Qui nobis in regno calorum tot præparat tabernacula, Ioann. 14. Nunc ipsum euangelistam videamus. Abraham genuit Isaac. Hebraismus hic est, quo idem verbum tam mulierum parere, quàm virorum gignere, significat. *Holid* siue *Ioled*, Ge. 5. 6. Deuter. 32. de viro: Genes. 3. 4. Exod. 1. de muliere. Græci virorumque verborum habent differentiam, *γέρονται* maribus, *τέκτο* siue *τίχο* fœminis tribuentes. Indè est & Maria virgo dicta theotocos. *Nomina veterum* super & hoc obseruandum, nomina veterum Hebræorum, *variè* & varia fuisse, & aliter pronunciata, atque nos hodie pronunciamus. Exempli gratia: Zaram, Zara etiam, *et aliter* vel Zarah dicitur frater Phares, Gene. 38. Efron filius *ta sunt at* Phares, aliàs dicitur Hezron, 1. Paral. 2. Ruth. 4. Aram *que nunc* item dicitur Ram, frater Caleb & Ierachmeel, tam in libro Ruth, quàm in Paralipomenon. Græca quoque dialectus. *habet* lectus ab Hebraismo variat. Vndè euangelion Matthei Hebraicè scriptum, hebraicam quoque tenet dialecton. Naafon dicitur etiam Nabafon, frater Elisabæ vxoris Aaronis, Numer. 1. Exo. 6. Floruerunt prædicti patriarchæ partim in profectioe Israelis in Aegyptû, partim in incolatu Aegyptiaco, partim post. Quod qui ritè obseruat, haud facillè in hoc libro errauerit. Salma siue Sal

mon (quia utrunque legitur in libro Ruth) floruit post transitum maris rubri. vxoris eius nomen fuit Rahab, ex qua suscepit filium Booz. Hic primus scrupulus oritur. Dubitatur enim, an hæc Rahab ea sit, de qua habetur Iosue 2. & 6. Chrysostomus eandem esse arbitrat. Theophylactus suo audet dissentire Chrysostomo. Hieronymus in Matthæum, duas recenset mulieres non adeo honestas, Ruth & Bethsabeam. Rahab silentio præterit. Ambrosius Thamar, Ruth & Bethsabeam, tam historicè quàm mysticè describit. Verisimile est, Rahab eam, de qua hic agitur, Hierichuntidem non credidisse: nam si hoc certò sibi persuasum habuisset, in dictam non præterisset. Semel eius mentionem facit, sed non in hac tractatione. Hilarius hic planè est taciturnus. Secundum temporis rationem nihil vetuit, Salmon Iudæum, alienigenam (tanquam profelytam) vxorem ducere. Et Booz tempore Iosue floruit, vel certè tempore Sophim, id est, Iudicum. Adde quòd Rahab ante Salmon non legitur habuisse virum: de patre verò & matre, deque sororibus eius scriptura est satis clara. Iterum † scrupulum facit, quòd Hierichuntis illa Rahab, scribitur per *chet*: illa verò, de qua hic dicitur, per *he*. David Psal. 86. Rahab legit per *He*, qualis illa Iosue 6. sed David de regno Aegypti vult intelligi. Hieronymus quoque accipit de vanitate Aegyptiaca. Denique dubitatur, an Cananæa illa Rahab, scortillum extiterit. *Zonah* siquidem per *Vau* obsonatricem siue cauponam significat. Ambrosius vocat meretricem libr. 1. de virginibus, & in Lucam capite tertio, secutus epistolam Iacobi, spirantem Septuaginta. Et magis credibile est, exploratores Israelitas diuertisse ad stabulariam, non scortum. Adde quòd *Zonah* per *Vau*, etiam pro obsonio cocto accipitur, Ioh. 3. Undè & caupona ea, obsonatrix vocari poterit. Non me latet, *Zonah* per *Vau*, bis tève prostitutam significare, Genes. trigesimo octavo, Ezech. decimosexto, Hose. quarto. Sed quisque per me, quod volet, senserit. Si meretrix fuit, misericordia Dei enitescit, qui talem in sui filij profapiam referre non est dedignatus, etiamnum verè pœnitentes, gloriosè recipere paratus.

*Opinio
Vvicely
de Rahab*

David autem rex genuit Salomonem ex ea qua fuit Vria. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius, in transmigratio-
 ne Babilonis. Theslaradecas altera, quatuordecim reges à rege David vsque ad reditum exilij Babylonici cõplectitur. Gesta David Biblicę literę passim exprimunt. Proditionem & adulterium eius biblia non tacent. Prodidit Vriam, & eius vxorem adulter contaminauit, 2. Reg. 11. quod non minùs, quàm victoriam gloriosam, quam de Goliath gigante blasphemus retulit, commemorat scriptura. Cecinit ille quidem, *Hanneni*, hoc est, Miserere mei, verè pœnitens. Scriptura verò prauaricatione eius non tacet, vt regię dignitatis pericula declaret, & vt omnibus sacramentũ pœnitentię cõmendetur, Psal. 50. 2. Re. 12. Mar. 9. De Salomone, qui volens, legat 3. Re. 1. 11. 1. Par. 3. 14. 23. Nehe. 13. Salomonis filius Roboam, siue Rehabeã, planè degenerauit ex paterna virtute. Ammonitide matre, nomine Naama, factus erat, cuius ingenium magis referebat, 3. Reg. 14. A Emulus eius Ieroboam Ephratęus, cõmento vitulorum auctoru populũ Israel sibi adherescere, & à regno David Salomonisque deficere fecit. Duæ saltem tribus, Iuda nimirum & Benjamin, Dauidici sanguinis regnum esse perrexerunt. Roboam genuit Abiam (siue Abiam) ex matre Maacha, regemque Iuda reliquit, 2. Paralip. 13. 3. Reg. 15. Nihil egregię laudis meruit. Asam Abia filium & regni successorem reliquit, patre se sanctiorem quippe vindicem iniquitatis & pietatis assertorem, 3. Reg. 15. 2. Paralip. 14. 15. 16. Asam hunc patrem secutus est in regni gubernatione Iosaphat, siue Iehosaphat, patrem æquitate & omnigenis virtutibus excellens. mater eius vocabatur Asuba, 2. Para. 20. Iosaphat successit Ioram, siue Iehoram, patrię virtutis vacuus planè, vt videamus, religionem nobis non adnasci, sed inspirari Historiam vide 3 Reg. vigesimosecund, 2. Para. 21. Iorã

Scriptura
 Davidis
 peccata
 nos supprimit.

2. Reg. 11. 2. 3. Reg. 14. 2. 3. Reg. 15. 2. Paralip. 13. 14. 15. 16.

*Liber generationis
impiorum ple-
rosq; pre-
terit.*

successit Hozias, siue Vziahu, qui & Afarias vocatur, 4. Reg. 15. Filius extitit Ieceliaz. Quantum ad politicam virtutem, non ingenerosus, sed non aded religiosus. Inuasor siquidem sacerdotij, lepra percussus, 2. Paral. 26. Scrupum hic soluit Hieronymus de successione Iore & Hoziaz. Historia biblica habet, Ioram genuisse Ochoziam, Ochoziam verò genuisse Ioam, Ioam verò Amasiam, Amasiam verò genuisse Hoziam, qui & Azarias fuit appellatus. Sic Ioram non patrem, sed proauum Hoziaz fuisse videmus. Amasiam verò eius genitorem extitisse, 4. Reg. 15. 2. Paral. 26. Impij Achabis, Athaliae & Iezabelis sanguis impius, in hanc stirpem Christi non erat recensendus, cum alioqui tessaradecas illa, à David vsque ad Iechoniam, perfecta extiterit. Hilarius, quem Hieronymus imitatus est, tres enumerat è sacra Christi profapia exclusos: Ochoziam, Amasiam, & Ioan: Ioram Hoziaz tritauum faciens, non parentem. Sic per tertiam generationem dicit purgatam labem familiaris tribus gentilis: quod Hilarius intelligit de profapia Achab, continente generosam illam dominam Iezabelem. Hæc hæc: Nunc ad euangelistam reuertamur. Hoziaz successorem facit Matthæus Iotham, quem Hebræi duabus syllabis exprimunt Iotham. natus mater Ierusa, gloriosus rex extitit, 4. Reg. 15. 2. Para. 26. Esa. 6. 7 fasces atque diadema regni post illum sortitus Achaz, de cuius impietate audistis in festo Annunciationis Mariæ, in epistola ex Esaia. De hoc rege agitur 4. Regum 16. 2. Paral. 28. Achaz eum impium sequebatur in imperio Iudæ & Benjamin tribuum Ezechias, qui hoc fuit religiosior, quanto pater eius extitit magis impius. Mater eius dicta erat Abia, 4. Regum vigesimo octauo, 2. Para. vigesimonono. trigesimo secundo, Esaia 24. 36. Paternum regnum occupauit Manasses siue Manasse, matre natus Hephisba, degener planè, & omnis patriæ religionis exors, 4. Reg. 2. 2. Para. 33. Hieremiæ 15. Huius successor & proles fuit Amon, ex vxore Mesulemeth natus, digna patre proles, 4. Regum 21. 2. Paral. 33. Iosias siue Iosiahu, patre impio religiosus filius factus, synagogam fideliter reformauit, quod & ante illū Ioas & Ezechias factitarunt. Tales reges hæc nostra

desiderant tempora. Faxit Deus accipiant. Iofias hic ex vxore Hamutal filios quatuor suscepit, Ioachaz, Eliakim, Zedechiam, & Sallum siue Ioathan. Vnde Euangelista ait, & fratres eius, vide 4. Regum, vigesimo secundo & vigesimo quinto 2. Paralip. trigesimo quarto, 35. Secundus Iofia filius Ioakim, filium habuit Ioachin, qui etiam dicebatur Iechonia, item Chonenia: regem eum Iudæorum captiuum abduxit secum Babylonem rex Euilmerodach, regno Iudæorum potitus. Hic enim expugnatio regni Iudæ increbuit & ferbuit, quæ sub Manasse incepit. Dicit ergo Euangelista: In transmigratione Babylonis. Tanquam vilissima mancipia abducebantur hic vnà omnes: dominus, seruus, diues, pauper, senex, puer, domina, serua. Tunc etiam in exilium protracti Daniel, Ezechiel, Mardocheus, Hester &c. Græcum *μετοικισια*, exilium & transmigrationem expressius habet. Significat enim violentam emigrationem, qualem hodie multi sacerdotes, Euangelistarum nostratum iniuria, experiuntur. Remittat illis Deus hanc noxam, si tamen eam agnoscentes, indulgentiam Dei cupiant. Sequitur tertia tessaradecas: Sic enim vetusti theologi quaterdenarium vocant. Matthæus quater vocat decateffaras geneas.

*Transmi-
gratio Ba-
bylonica
misera.*

Et post transmigrationē Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autē genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Acim. Acim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Maria, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

Principes hi viri, non solum Babyloniam sunt abducti, sed etiam bona parte in eo exilio nati exules exulū parentum. Non in perpetuum irascitur Dominus, nec obliuiscitur miserationum suarum. vnde circiter septuagesimum annum, ab Hieremia prædictum, redire eos fecit in Palestinam, Hierusalem & templū sanctum reædificare, & omnia innouare. Postea circiter annū quadringentesimū natus est Messias noster. Salathiel siue Sualthiel, etiam vocatus est Afsir, item Pedecia, vt ait Hiero-

ny. dictus item Mesebeel, vt ait Philo. Charitas vestra maiorū Dominici (vt Ambrosius ait) generis catalogū audiat ex 1. Par. 3. digestum, & videbit Mattheum vetus testamentū memoriter retinuisse. Salomō, Roboā, Abia, Assā, Iosaphat, Iorā, Ahasia, Ioas, Amasia, Asaria, Iothā, Achaz, Ezechia, Manasse, Amon, Iosia, &c. Primus Iosia filius fuit Iohannan, secundus Ioakim, tertius Zedekia, quartus Sallū. Filij Iechoniae, qui in captiuitatē i- uit Babylonicā, fuerūt Salathiel, Malchirā, Phadaia: * Phadaia filij erāt Zorobabel & * Simet. Filij Zorobabel fuerūt Mefullā & Hanania. Sed redeamus ad priorē: Sa- lathiel siue Phadaia, siue Pedeia, siue Assir, siue Mesebe- el, genuit Zorobabel siue Zerubabel in Babylone ipsa, quod eius nomen satis declarat. Is populū Israel deniq; cū aliis ducibus in Palæstinā reduxit. De hoc non Ezras solū præclara cōmemorat, sed & eius memoria celebris est in literis propheticis, Haggai nimirū & Zachariae. Hieronymus facit eū typū Christi, quēadmodū etiā Cyprianus typū ecclesiae facit Rahab. Abiud filius Zo- robabel, q̄ etiā Hananias dicitur 1. Par. 3. Dubiū non est in reedificādo tēplo eū iuxta, atq; patrē, sedulū fuisse. Quāquā in scriptura celebris adeo nō sit. Huius filius Eliachim, fortē est sacerdos ille, de quo dicitur Nehe- miae 12. Azor Eliachimofatus, in biblia itē nō celebra- tur. Zadoc Azoria proles, in Nehemia nobilitatur. Hu- ius filius † Abin, nepos † Elihud, Eleazar abnepos, in scriptura item canonica nusquam incalescunt. Circi- ter eorum seculum bellum horrendum ingens institit, quod à Machabæis nomen obtinet. Eleazar abnepos A- zoris, genuit Mathan auum Iosephi. Mathan genuit Ia- cob parentem Iosephi, qui legalis maritus erat Mariæ, & legalis pater Christi. Putabatur pater Christi, vt ait S. Ambrosius, quia natura non erat. Hic in dubio relin- quendum non puto, quid sentiendum de Mathan & Melchi, quorum illum recenset Mattheus, hunc Lucas. Item, an ne Eli & Iacob, germani fuerint fratres. Secun- dum Mattheum fuit Mathan auus Iosephi. Iuxta Lucæ euangelion, Mathath fuit auus Mariæ. Mattheus alterū vocat Iacobū patrē Iosephi, eundē Lucas appellat Eli. Ambrosius dicit hos fuisse germanos, & alterū alteri se

*Librum
generatio-
ni Christi
aliter pro-
sequitur
Matthe-
us, aliter
Lucas.*

cundum legem semen excitasse. Hieronymus hoc sum-
 moperè vrget aduersus Iulianum, testes que adducit vete-
 res authores, Aphricanū, Eusebium, & c. Aphricani ver-
 ba sunt, de legali successione duorum fratrum Heli & Ia-
 cobi: Forte Iacob Ioseph patrem exiitisse, & Eli, qui &
 Ioachim dictus est, Mariæ genitorem, Iosephum filium
 solitum vocasse, amoris & honoris gratia: Ioseph vicis-
 sim, focerum suum Eli, æquè atque patrem suum Iaco-
 bum, paterno nomine cohonestasse: factumque sic, vt &
 Lucas eum filium Eli posuerit. Soluendus alius nodus
 sententia Ambrosii super Luc. ca. 3. Infelices Iudæi que-
 runt blasphemiam anam ex euangelio, quod non Mariæ,
 sed Iosephi genealogiam profequatur: quasi hoc non sit
 receptum in omnibus libris biblicis. Mos est hagiogra-
 phis, non mulieres, sed viros ponere capita propaginum.
 Idem testantur receptum fuisse in lege, vt sanguine pro-
 pinqui, maximè vero tribus Iuda, sibi matrimonialiter
 coniungerentur. Sic videmus expeditum nodum: Virgi-
 nem nimirum Mariam esse de stirpe Dauidica ortam, Io-
 sephum puta & Mariam de stirpe vna. Plura de hac re, si
 libeat, vide apud Chrysostomum & Theoph. Item apud
 Hilarium & Hieronymū, & c. Nec vacat mysterio, quod
 Matthæus tesseracosten, hoc est, numerum quadraginta
 personarum recitat: Lucas pentecosten, hoc est, quinqu-
 ginta. Lucas item ascendit per lineam Nathã (qui & ipse
 filius Dauidis fuit) sanguinis Mariæ, Matthæus vero de-
 scendit per Salomonem lineæ Iosephi. Veteres Rabini
 etiam vocarunt parentem Mariæ Eli siue Ioakim ex li-
 nea Zerubabelis natum. Fatebantur item Mariam esse
 eã, de qua dicitur Zach. 4. *Ha eben ha rofcha*, hoc est, præ-
 cipuus lapis vndè nasciturus Messias. Vide plura de hac
 re apud S. Augustinum quæst. euang. libr. 2. cap. 5. Lucas
 infames mulieres, Thamar, Ruth, Bethsabeam non com-
 memorat, Matthæus vero in solatium pœnitentium, eas-
 dem euangelicis literis inserit, quoniam Christus præci-
 pue venerit peccatores quærere & seruare, Matth. 9.
 Scortillum vero nullum hic patrociniū habet, quia
 non peccatrices euangelista, sed pœnitentes recenser.
 Adde quod adeo petulantes non extitere, quales sunt
 prostitutæ meritoriaæ fecidæ. Thamar (ait S. Ambro-
 sius) *si genealogia libri commissæ.*

*Iosephi &
 nō Mariæ
 genealogi-
 am profe-
 quuntur
 Euangeli-
 stæ.*

*Mulieres
 non pecca-
 trices, sed
 pœnitent-
 es, in chri-
 sti genealo-
 gia libri
 commissæ.*

filius) non opera meretricis exercuit, sed munera fœcunditatis elegit. Ruth Moabitidis, meruit fieri typus ecclesiæ ex gentibus. Moabitas enim Moses execratur Deut. 23. Si Rahab meretricem fuisse contendas, certè non meretricis moribus, sed castimonia & fortitudine meruit tanto duci fieri vxor non pœnitenda. Neque etiam filius maritæ arcet Cananæas, qui venit saluare omnes gentes. ¶ Neque item vacat mysterio, quod Augustinus enumerat septuaginta septem personas, ab euangelista Luca in Christi prosapia conscriptas. Atqui vt nunc demum huc locum in pauca conferam, videmus Iesum esse filium Abrahamæ & Dauidis, hoc est, filium promissionis, semen Adæ, quod serpentinum caput habuit contererere. Dicit ergo Euangelista Iesum Christum, hoc est, Messiam filium Dei. iam si hunc Iesum, pulcherrimum & decorum præ filiis hominum admiramur, immo si angelis iucundum magis suscipimus, & cum patre & spiritu sancto vnum Deum adoramus: Nonne Mariæ præcipuum cultum debemus, per quam Messiam cum habemus? Filia Dauidis, filium Dauidis genuit, ad hoc electa & præelecta, Matth. 22. Rom. 1. Luc. 1 2. Tim. 2. Esa. 22. 55. Hiere. 23. 30. 33. Ezech. 34. Hose. 4. Amos 9. &c. Virum Mariæ vocat Iosephum, ratione sacramenti coniugij, non carnis commitione. Cæterum & scriptura sponsos, sponsarum maritos virosque appellat. Qua de re, si placet, lege Hieronymum, Theophylactum, & alios. Sequitur: Ex qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Obseruandum hic, in sola litera A, nostræ fidei summam propendere. Ex qua, ait, & non, ex quo. Ex Maria virgine, & non ex Ioseph viro Mariæ. Hebraicum *Mimemah*, Græcicum *ἡσ*, Latinum ex qua. Virginem eam gloriosam, ex qua Christum filium Dei nobis verè natum credimus, magnificè prædicemus, ex regali progenie ortam cæli reginam, laudemus, extollamus, glorificemus, quia omni est laude dignissima. Non hic idololatria committitur. Ancilla est S. Trinitatis. Laus eius in sanctæ Trinitatis gloriam redundat. In memoria sancta *Ab ben vrab*, hoc est, alma Trias, Pater, filius, & spiritus sanctus, sit benedicta in secula, Amen.

lium suorum claritate.

Nunc quantum ad præsentem festivitatem, sic Christus filius David, filius Abraham, filius etiam Adæ, hoc est, verus homo, nobis datus, nobis natus, nobis est cordi: quare non celebremus natalem Mariæ? Dicunt Anticomariani, scripturam canonicam nihil de Mariæ natalibus agere. Ergo vanitas liber generationis Iesu Christi apud Matthæum & Lucam? Dicunt non constare, eam hoc die esse natam. Scilicet validum argumentum abrogandi festum hodiernum, & exhibilandi ecclesiam hodie solennizantem? Si omnia mendacio & papistico commento sunt deputanda, quæ non sunt in scriptura biblica: vanissima est columna veritatis, Sacrosancta mater Ecclesia: iam patres ecclesiæ, eam fidem non merentur in ecclesia, quam habent Livijs, Tranquillus, Tacitus, & alij ethnici historici. Iam nihil est traditio patrum, quasi per manus plurima nobis fidei sacramenta committens. Iam in dubium vocatur, non solum virginitas Mariæ perpetua, sed & sancta Trinitas, & eiusdem vnitatis confessio, quam vocabula homusios & hypostasis, quorum neutrum scriptura habet, nobis traditione paterna illucidant, antiquatur. Somnium, quod Chrysostomus, Basilius Magnus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus & alij de sanctis martyribus, Tecla, Laurentio, Agnete & alijs, commendauerunt memoriæ. Christus nullos testes habet in ecclesia, ergo Apostolorum testimonium non est receptum. O horrendam hæresin. Catholici audiant, quid Ambrosius ex traditione patrum & spiritus sancti inspiratione de laude Mariæ enarret: sunt eius verba: Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque beatæ Mariæ, de qua velut speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilior Dei matris? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Nam de cæteris eius virtutibus quid

*Natiuitas
Mariæ ce-
lebranda.*

*Hæretici
omnia fe-
sta eccle-
siæ anti-
quando,
ecclesiam
deliram
faciunt.*

loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens loquendi parcius, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere. Non lædere reos, bene velle omnibus, assurgere maioribus nata, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vultu læsit parentes? quando diffensit propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem, eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia? Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas, fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quam seipsa, quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret: & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet, quia

quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret quam doceret. Talem hanc euangelista monstrauit, talem angelus repperit, talem spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, nè quis intentionem abrumperet, nè quis obstreperet. Neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetæ? Denique & Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit: & angelum Maria, quasi viri specie mota, trepida, quasi non incognitum, audito nomine, recognouit. Hactenus sanctus Ambrosius. Audiamus & Græcum Damascenum 4. libr. Ortho. fidei, cap. 15. vbi de linea Nathan, cum euangelista Luca, deriuat Mariam, ex Leui nimirum, Melchi, Panther, Barpanthera vsque ad Ioachim parentem Mariæ. Ioachemum hunc itidem dicit vxorem duxisse Annam, gloriosam gloriosæ Dei genitricis matrem. Denique de laudibus beatæ virginis ait: Editur partu in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deindè in domo Domini plantata & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans, & sic virginem animam cum corpore conseruans, vt decebat eam quæ in sinu Deum susceputura esset. Sanctus enim existens, in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum sanctum & admirabile altissimi Dei dignè demonstratur. Quia ergo obseruabat virgines nostræ salutis inimicus propter Esaiæ prædictionem, dicentis: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est, interpretatum, nobiscum Deus, vt deciperet eum qui semper in sapientia gloriatur, ipse qui depræhendit sapientes in astutia eorum, in desponsationem puella Ioseph à sacerdotibus traditur, vt nouus liber literas scienti.

Nam despōsatio, custodia virginis erat, & virginis obseruantis depulsio. Quando autem venit plenitudo temporis, missus est angelus Domini ad ipsam, annuncians Domini conceptionem. Et sic concepit filium Dei, consubstantialē patris virtutem, nō ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, id est, ex cōgressu & semine, sed ex patris bona volūtate & cooperatione spūssancti sup peditauit creatori creari, & plasmatori plasmari, & filio Dei & Deo incarnari & humanari, ex puris & illibatis carnibus eius & sanguinibus, primæ matris absoluens debitum. Nam quemadmodum illa sine cōmixtione ex Adam plasmata est, sic ista nouum Adam, lege partus in vtero tuliz, quē peperit super natiuitatis naturā. Natus est enim ex muliere sine patre, & ex patre sine matre. Et quoniam ex muliere lege partus, quoniam sine patre, super naturam est natiuitatis. Et quoniā consueto in tempore, (nam nouem menses complens, & decimum attingēs nascitur) id fit lege partus. Quōd autem sine dolore, supra legem partus est. Cuius voluptas enim non præcessit, neque pariendi dolor subsequutus est. Hæc Damascenus. Videtur operæ precium, vt & ethnicorum de Christo nostro Domino Mariæ virginis vero filio, testimonia in medium producam. Primò obseruandum Herodotum Halicarnass. Leonidis Spartani & Leuty-chidis profapiam eo modo describere, quo sanctus Lucas Christi profequitur genealogiam. Ille Leonidis & Leuty-chidis propaginem vsque ad Herculem extollit. Lucas ergo non ineptè insimulandus. Christum quoque à Ioseph cuius filius (vt ait) putabatur, vsque ad verum patrem cęlestem, extollens. Qui fuit Dei, ait: vtique filius verus naturalis consubstantialis. Veram vt in terra matrem habuit, ita in cęlo verus illi pater extitit. Christus Iesus verus Deus, veri Dei filius, Deus de deo, lumen de lumine. Ethnicorū dij fabulę & dęmonij imposturæ. Fideles à tempore Apostolorum & postea sic ethnicorum idololatriam retexuere, vt eam prorsus extinguerent in toto mūdo, S. Iustin. martyr ostēdit, ethnicorum sophos & sacerđotes de deorum suorum numinibus semper dubios fuisse & inter se discordes. Itē Homerum, Orphea, Sophoclem, Pythagoram, Plate-

nem & alios eiusmodi, quicquid de vnica essentia Dei memoriae prodiderunt, ex Mose & ex prophetis nostris esse furatos. Idem facit Euseb. lib. de Præparatione euangelica, sed is ethnicorum magiam, mathesin, fatum & hoc genus opiniones luculentius confutando, † Hierophantos, gymnosophistas & omnes philosophos suis ipsorum iugulat gladiis. Tertullianus in Apologetico, Origenes contra Celsum, Cyrillus contra Iulianum, grauissimis argumentis gentes erroris reuincunt. Prosper & Lactantius ethnicos item errati reuincunt, Sibyllarum oraculis fidem nostram adstruunt, Mercurij Trismegisti & Platonis autoritate fidem nostram defendunt. Virgilium ineptè Sibyllæ Cumanæ oraculum commemorasse S. Augustinus ostendit. De Christo, & non Quiritum aliquo intelligendum itaque est quod ait:

Iam nona progenies celo demittitur alto, Et hoc.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Idem libro de ciuitate ostendit, decem & septem versus Sibyllinos Græcè scriptos esse, sic vt illorum literæ capitales coactæ, sonent, Iesus Christos, Theu hyios, Soter, quibus addidit quidam, Stauros, Hoc est, Iesus Christus, filius Dei, saluator. Hoc est, Iesus Christus, filius Dei, Saluator, in cruce. Oraculum adscribitur Sibyllæ Erythrææ. Vide Augustinum de ciuitate libro 18. cap. 23. Iustinus quoque, de quo supra, facit mentionem Sibyllæ filix Berosi Chaldæi, dicens Platonem in Phædro suo eius meminisse. Oraculum eius fuit: Verbum carnem assumpturum, icona Dei. Sibyllarum cum Platone & Virgilio, etiam Iuuenalis meminit, dicens:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Eusebius lib. 9. cap. 4. de præpa. Euange. ostēdit, Berosi, Hecatæi, Aristei, Theodoti, Eupolemi, & aliorum vetustissimorum Philosophorum libros, etiā diluuij testimoniū continere. S. Hierony. ex Varrone decē enumerat Sibyllas. Idē ostendit vocabulū Sibylla, esse Aeolicum, Græcè sonare Theobule, Latinè consiliū Dei. Virgines ferè omnes fuisse ait, vt virginitatis primū sit diuinatio, Lib. 1. contra Iouinianū. Breuitatis causā, cōfusse quid de Deo senserunt ethnici, audiamus. Erythræa vocat Deum ingentū. Hermes *ἑρμῆς* & *ἑρμῆς*.

ρα, hoc est, sibi ipsi patrem & matrem. Item Sibylla vocat Deum *παντατροφον*, id est, omnia pascētem. Eadem de Christo ait, *θεος υιου τοντα*, hoc est, qui dei filius est. Apollo eundem ait esse mortalem iuxta carnem, sapientem, mirabile iuxta opera, captum, acerba morte vitam finientē, ligno affixum. Iterū Sibylla ait: Verbo omnia perficit, verbo etiam morbos curat. Miracula eadem Christi recenset. Observandum etiam hic, quod Sibyllæ omnes ante verbi incarnationē floruerint. Inde colligit Lactantius satis firmum testimonium (verba eius hæc sunt) ad probandam Veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis: libro 4. cap. 16. & 18. Idem oraculum Sibyllæ recenset de Christi acerba morte, & de contempta persona eiusdem, dicens: *κτιμος υμορφος*. Item de resurrectione in tertia die lib. 7. cap. 18. De fine huius seculi oraculum, *κασμος ακασμος*. Denique item de iudicio extremo præclarissima oracula. Sed Iosephus historicus Iudæus ille similia de Christo memoriæ prodidit multa: Vocat eum virum sapientem, addens: *ηγε ανδρα αυτον διγγο χει*, hoc est, si tamen dicēdus est vir. Item dicit eum inaudita edidisse opera, doctorem hominum & hoc genus alia multa, *παραδεδων εργα ποιητης*. Iustus liber mihi conscribendus esset, si talia ethnicorum testimonia nostram religionem asserentia, sedulò vellem adducere. Pauca hæc quæ instituto nostro inferuire videbantur, utcumque sine ordine confusè corrasimus. Ostendimus Christum esse filium Dei. Patrem cælestem esse immensum. Sequitur ergo, Mariam virginem Christi veram matrē, supra omnes creaturas esse celebrandam. Mater Christi, est & ecclesiæ mater: vnde eam tanquā matrem ritè recolunt ecclesiæ filij omnes. Tu ergo pie lector & te filium ecclesiæ præsta, laudans, quantum potes, Mariam. quidquid enim laudis impenderis matri, id omne redundat in filium: omne acceptum sibi fert pater. Lauda ergo quia omni laude dignissima. Dominus Deus, qui primitivam ecclesiam spiritu sancto suo in decus Mariæ accendit, sanctum eum ardorem in nobis quoque reddaccendere dignetur, in suam solius gloriam, qui in sancta Triade vnus vivit & regnat per omnia secula, Amen.

NATIVITATIS MARIAE.

MATTH. I.

Liber generationis Iesu Christi filij David, &c.

¶ Sectio.

- 1 *Stirpis Iessæ claritas.*
- 2 *Virginis Mariæ supra omnem suam stirpem sublimitas.*
- 3 *Huius festi celebritas.*

¶ DECLARATIO.

1 *Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham, &c. Stirps sacerdotalis & regalis. Abraham ante legē rex fuit & sacerdos: Regalis prosapia & sacerdotalis in lege erat permitta. Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedek, & secundum eundem etiam rex: vouit ergo talem stirpem sibi sanctificare. Nihil clarius in mundo, sacerdotio & regali maiestate. Sacerdos non eligitur, nisi ex vita merito. Vide Canones. Rex etiam nemo verus est, nisi clemens, prudens, & virtute pollens. Quantum attinet ad virtutum encomion, duces ante & post reges, clariores extitere vulgo regum. David, Ezechias, & Iosias, boni: reliqui autē mediocres, aut mali. Salomon, Roboam & Manasses, mediocres: reliqui omnes pessimi. Fuerunt & mulieres, quarum hic mentio fit; è peccatorum abyssso liberatæ, aut mediocres. Quia Christus venit saluare peccatores. Iessæ tamen stirpis claritas, nulla alia est, nisi virtutum omnigenum celebritas. Nobilis est quem virtus sua nobilitat. Nobilis dicitur quasi nescibilis. Virgilius. Est locus Italiae medio sub montibus altis, Nobilis.*

*Martialis:**Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus.*

Dicis, peccatores impios etiam in Christi fuisse prosapia. Respondeo: Iudam non contaminasse aliorum Apostolorum gloriam, neque etiam in Ecclesia tradere degeneres quosdam episcopos seriem ecclesiasticam tollere. Sic & Christi progerminationem non denubilarunt inhonesti aliqui. Deinde dico, impijs nihil esse promissum. Abrahæ verò & Davidi factas promissiones de Christo. Tertio dico, impiã Iezabelis progerminationem vsq; in quartum gradum exclusam. Ioram duxit filiam. Iezabelis, is genuit Ochoziam, qui genuit Ioan, ille Amasiam, Amasias verò Oziam, de quo Mattheus. Denique dico extinctam domum regum propter peccata in captiuitate Babylonica. Vides itaque verè, Christi parentelam atque progeniem, verè esse cla-

ram, atque in carnisu tentationis probatam.

2. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua, &c. Ecclesia, in prosa omnibus clariorē predicat esse Mariam. Sic habet cantus: Tu pios patrum mores ostentas in te, sed excellis eosdem. Maria flos designata radice & virgæ Iessæ, Christus semen. Flos plurimum habet venustatis. Videatur, quas figuras & quæ oracula scriptura contineat virginis Mariæ: nihil tale de patribus inuenies, neque de Abrahamo, neque de Dauide: immo in ipso Abrahamo & Dauide, Mariæ encomion habet suam argumentum, Maria contraria Heuæ. Illa prudens, hæc stulta: illa fortis, hæc mollissima. Nobilis pro sapia Christi non propter tres pios solum reges, puta Dauida, Ezechiam & Iosiam, sed propter sanctum sanctorum Christum Iesum fructum virginalem. Vtique etiam magis nobilis propter ipsum florem Mariam virginem. Maria flos, Christus semē, Christus caro Mariæ, Christus filius Mariæ, Christus cum patre vnum, utique & vnum cum matre, ex qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Omnia magnæ emphasis verbum, o profundissimi sensus oratio. Maria soror angelorum, id est, par angelis, quia virgo: angelis beator, quia peperit virgo: Domina angelorum, quia mater Dei. Rubus incubatus. Bernardus in sermone: Mulier amicta sole. Iterum, Bernardus in sermone: Maria arca in qua mæna: tabernaculum templum, ihalamius, clausa ianna, fons signatus, &c. maior omnibus diuinis, quia etiam maior angelis. O clarā stirpem Iesse, Eccl. 24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, &c.*

3. *Mariæ ortus, necessarius hominibus, gratus angelis, desiderabilis Deo. Necessarius mortalibus, quia secundū Bernardum: Non decebat Domini matrem aliam esse nisi virginem, nec virginis filium alium quàm Deum. Angeli gaudent super vno peccatore resipiscente, magis de Mariæ, quæ peperit omnibus venia auctorem.*

Delicia sunt Deo, esse cum filijs hominum. Cantic. secundo. Surge, propera amica mea, vsque, Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Dedicatur tabernaculum, templum, arca, & omnia vasa sanctificantur. Quid tabernaculum, quid templum, & quid omnia alia collata Mariæ? Magna festiuitas tēpli edificati & dedicati, 2. Reg. 7. Abrahā fecit grande cōuinium in die ablactationis Isaac. Filij Abrahæ, merito gaudēt in natali Mariæ. Celebratur festiuitas propter Dei gloriā, & nostrā cōmoditatē. Hieronymus, in sermone: Quidquid genitrici Dei officia se impeditur, totū

Deo attribuitur. Damascenus: Honor qui ad ipsam est, ad Deum qui ex ipsa est, reducitur. Bern. ser. 3. super Missus est: Non dubium est, quidquid in laudem matris proferimus, ad filium pertinere. Nobis commodum, quia Deo gratum, quia meritorium, quia diabolo infestum. Confundantur & reuerantur, qui tantam arriquant ecclesie solemnitatem.

IN NATALI S. MATTHAEI APOSTOLI & Euangelistae, Epistola Eph. 4.

Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, &c.

PRAEFATIO.

Obseruanda praecipue est haec praesens lectio, quae ecclesiastici ordinis, atque ad eam totius ecclesiae status expressam nobis exprimit effigiem atque speculum. Nisi hic locus nobis superesset, haereticis facile permetteremus novos in ecclesia ordines constituendi auctoritatem. Nunc vero cum videamus ecclesiam suos ordines semper habuisse, non possumus non floccifacere & execrari eos, qui ab integro omnia noua facere conantur, quasi ante ecclesiam nunquam extiterit, siue Vuitenbergenses sint, siue Tigurense. Fuit ante haec tempora vere gloriosa ecclesia, quam dubium non est semper permanfuram, non in angulo orbis vno, sed vbi-que terrarum: quanquam inuidet vniuersali ecclesiae & ecclesia noua Luteranorum & Zuinglianorum. Tanta est gloria ecclesiae orthodoxae, vt victrix futura sit cum iudicetur. Sed nihil hic habet homo quod se de Dei donis efferat. Dei sunt beneficia, Dei ergo in omnibus querenda est gloria. Filius hominis, verbum incarnatum, Emanuel, Iesus Christus, nobis eam peperit felicitatem. Eius est euangelion, eius ministri sunt omnes veri doctores catholici. Vnum ouile, vnus pastor, in omnibus suppastoribus. Vna ecclesia, vnus ecclesiae caput in multis ecclesiae capitibus. Vnus ecclesiae pontifex in multis pontificibus. Vnus rector in multis rectoribus, Multi sunt ministri, arma, agricolatio: vnus Dominus & Deus, qui agit & operatur omnia in omnibus, qui est benedictus in secula.

Ecclesie catholicae veram habens agnitionem, non statim haereticis subscribes.

Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Sub initium huius praesentis lectionis Apo-

*Vocatio-
num va-
rietates nõ
resoluant
ecclesie v-
nitatem.*

stolus vehementi spiritu vnitatem nobis commenda-
uit, quia dicturus postea erat de varietate vocationum,
ministeriorum puta, qui & ipsi patres quodammodo &
capita ecclesie dici possunt. Vnus, ait, Dominus, vna fi-
des, vnus baptismus, vnus Deus & pater omnium: qui
est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. In-
fert ergo, omnes, cuiuscunque status sint & conditio-
nis, oportere in vnum corpus coire, vnum caput agno-
scere, vnum patrem fateri, vnumque timere Dominum.
Multi patres, sed ex vno patre: vnum caput, per quod o-
mnis gratia corpori confertur, cuius merito omnes
Deo patri sunt grati. sed capita etiam multa ministeria-
lia, hoc est, multi subpastores pastoris vnus, multi mi-
nistri vnus Domini. habet vnusquisque suum donum
gratie Dei. Quid habet pontifex, quid Cæsar, quid cle-
rus, quid laicus, quod non acceperit? Vnde verò acce-
pit de suo? Non, sed secundum gratiam donantis. Vides
omnia tendere ad vnum, omnia esse per vnum, omnia
ita data esse propter vnum. Quare ergo multa membra
corporis vnus, sub vno capite sibi dissideant? Primò ex
verbis Apostoli conuincitur, si quis dixerit non esse v-
nitatem, cum multi sint ecclesie rectores & pastores,
principes, patres & capita. Omnes enim (vt dictum est)
sunt ministri Dei. Habent varia nomina propter diuer-
sitate vocationum. Exempli causa, variae sunt vocatio-
nes, varia dona Dei. Non ergo statim multi dii, sibi dis-
crepantes & aduersi, sed vnus est Deus. Nõ singulis par
gratia contigit. Vnusquisque habet suum donum, alius
sic, alius verò sic. Alius castum habet cor & corpus, ali-
us carnis lubricum patitur, & studet esse castus vel cor-
de in sacramento connubij. Sic vides varia esse dona, v-
num datorem: varia item dona ad eundem vides tende-
re donatorem, sed non vna via. Alius virginitate Deum
colit, alius continentia eidem seruit Deo. Vides itaque
vnum Deum in variis suis donis declarari diuitem & lar-
gum. Sed virginitatis meritum præstantius est, quia &
laboriosius. Vnde Apostolus cupit nos omnes esse vir-
gines castos corpore & corde, suadetque vt hoc quod
melius est, studeamus arripere. Peccat ergo, qui tali me-
rito quocunque nomine detrahit, vt Iulianistæ veteres

*Dona va-
ria vnus
donatoris,
Ecclesie
vnitatis
sunt argu-
mentum.*

faciunt simul & noui. Contrà pharisæi & hypocritæ sunt, qui virginitatem vsque adeò prædicant, vt coniuges pudicos præ se ausint contemnere. Donatus & Petilianus, ex merito ministrorum sacramenta estimare sunt ausi. Dicat nobis aliquis, quid à Petilianistis differant, qui Esaiam propterea quòd vxorem habuit, spiritum prophetandi negent habuisse: qui Petrum & alios apostolos, qui vxores & liberos habuerunt, minùs apostolos affirmare ausint, quàm fuit Ioânes Euangelista, què ecclesia dicit lene coniugis pectus Christi amore reliquisse: nonnè hypocrita dicendus & hæreticus? Vides itaque dona varia Dei nullam in ecclesia parere diuersitatem. Sic etiam res se habet cum varietate vocationũ statuum. Nihil seruus differt à Domino, nihil ancilla ab hera, nihil Scytha ab Israelita, nihil puer à sene. Idem sentiendũ in magistratu spirituali. Stephanus diaconus fuit, Petrus pōtifex: vterq; vnus Christi seruus, vterq; propter vnã ecclesiã vocatus: alius sic, alius verò sic. Vide cōparationē vnus corporis & variorũ mēbrorũ, Rom. 12. 1. Cor. 12. Mensura donationis est Christi, non Stephani; nõ Petri: quia neq; Stephanus se elegit, neque se Petrus. Sors cecidit super Matthiam, nihil hic Petro ferebatur, neq; aliquid illi ibi merebatur. Christus dedit Petro & aliis Apostolis spiritum ad exequendum munus apostolicum: idem dedit & Stephano spiritum ad functionem diaconatus. Mensura siquidè neque (quod dixi) fuit aut Stephani aut Petri. De mensura donationis Christi, habes figuram in Aarone. Testis regius propheta Psal. 22. Sicut vnguentum, ait, quod descendit in barbã barbã Aaron. Vide item eundem Psalmum præcipuè ipsã celebrare vnitatem. Oleum in Christi capite, ad nos omnes exundat. Gratiam pro gratia. Ex eius plenitudine accipimus omnes. In corpus oleũ capitis manat. Nos mēbra, nos corpus sumus, Psal. 44. Participes ibi vocantur, mēbra vnus corporis varia. Christo citra mensuram donauit Ioan. 3. Christum eniã pater quoque pro sua reuerentia exaudiuit. Nos nisi per Christum exorari non possumus. Spiritum & gratiam sine mensura in Christo, intellige de humanitate: sed de ea humanitate, quæ cū verbo habet vnitatem. Ad mem-

*Vnitatē
Ecclesie
regius vi-
dit prophe-
ta.*

bra quadrat, Cata metron, hoc est, iuxta mensurá. Christi clementia, est omnium nostrú sufficientia. Per Christum omnia diuina charismata nobis supersunt. Non est hic vlla inuidentia, sed vt quisque suo dono ritè vtatur, maxima omnium est cura & prouidentia. Sequitur:

Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Pondus vt maius verbis

Christi merito ad scribendum omne nostrum meritum.

suis addat, scripturæ vtitur testimonio Apostolus. De sursum reuera est, quidquid in nobis est sanctum & salutare. Quod sum, ait Apostolus, hoc sum Dei gratia, i. Corint. 15. A Ioue principium Musæ, ait Poeta. & alius ait,

Totum est muneris hoc tui.

Quòd spiro & placeo, si placeo, tuum est.

Cum professio hæc gratiæ Dei, etiam ethnicis nota sit, non video, quare laborem scriptura canonica eam ostendere. Locus hic ab Apostolo citatus, psalmographi est, & habetur Psal. 68. Sic habet Hebræus: Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, ad accipiendum dona in hominibus. De Dauid verba præsentia intelligi non possunt, iuxta Iudæorum commenta anilia. Dauid vir fortis dextræ verus est, qui suapte virtute surrexerat à mortuis, atque ascendit in cælum, idque tanta maiestate, vt obstupesceret tota simul fidelium corona. In altum, quia nubes suscepit eum. In altum, quia cælum est sursum. Captiuam duxit captiuitatem, quia deuicto diabolo, eripuit electos, & vastauit limbum. Denique glorificatus, dedit suum ecclesiæ spiritum, atque adeò dona hominibus. Glorificatus, dedit dona hominibus, quos pacificauit, quos Deo reconciliauit, quos cū Deo in gratiam redire fecit. Sic quidem dilexit Deus hunc mundum, vt vnigenitum suum daret mundo huic redemptorem, Ioan. 3. Quare verò dilexit? Nōne propter verbum, cuius opus est hic mundus? Dilexit nos ante cōstitutionem mundi in dilecto. Glorificato ergò Christo, suum erga nos amorem declarando, oraculum hoc præfens adimpleuit, nos spiritus sancti charismatibus replendo, Ioan. 2. Ezech. 36. Act. 2. Dona ea ipse quoque discipulis promisit, eos consolando de sua abitione, Io-

an. 14. 15. 16. Sed & hoc obseruandum, Christum Iesum dare nobis dona ea: & quantum ad humanitatem, meruisse eaque hoc nobis chariora esse debere. Maledictus sit in æternum propudiosissimus Thalmud, blasphemans dicendo, Deū in cælo longè alia agere, quàm nos S. Paulus hic docet. Dicit infandus Thalmud, Deum in cælo Thalmudicæ lectioni insudare, aliquando etiam cum Leuiathan ludere, denique etiam aliquot horas causis audiendis impendere. Cæci Verpi talibus blasphemis deliriis fidem adhibere possunt. Sed per Deum oro, quid Lucianus de Ioue fabuloso futilius & magis friuolum potuit mentiri? Nos blasphemæ hæ nugæ & somnia excitent, vt maiori studio veritati studeamus nobis reuelatæ: videntes fidem catholicam & certam esse, & in æternum contra portas inferorum permanfuram, vincere semper cum à tam turpibus & fœdis hostibus impugnatur.

Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes calos, vt adimpleret omnia. Quanto altius Christus ascendit, tanto etiam profundius Christi ascensio nem & munerum largitionem explicat, autoritatem psalmographi elucidando. Primo interpretatur verbū, Ascendisti in altum, sic, vt ascendere ipsum, descendere sibi præsupponere videatur, iuxta hoc quod veritas ait: Nemo potest ascendere in cælum, nisi qui descendit de cælo, Ioan. 3. Dicit ergo Apostolus, Christum prius descendisse profundius, quàm in hunc mundum, nempe in ipsam profunditatem abyssi, hoc est, tenebrarum. O profundum descensum quis non videat, imum eum ad Tænari lacum descensum, sequi altissimum omnium ascensum? Quæ non habeat dona, quæ Hebræi vocant *Matthanoth*, Græci *domata*, qui perlustrat omnia profunda & altissima? Vidēs etiam argutum Apostolum? Negotiator atque bellator strenuus, qui eò profunda descendit, vt nihil esse posset magis imum, meritò ergo ascendit eò altitudinis, quo nil magis excelsum. Qui suo omnia subdidit imperio, dona & dignitatum munia solus possidet omnia. Iacob vidit angelos descendētes & ascendentes, & obstupuit. sed ecce tibi, angeli I-

Christus omnia profunda & summa perlustrans, omnem thesauris sibi comparauit.

dithum hunc nostrum non possunt non obstupescere, tam ineffabiliter se submittere & furrigere, omnia celeri saltu transmittendo. In finis terræ partibus profundius nihil esse potest. Partes eas nos inferos locos appellamus. Cælo quoque nihil altius est, 2. Paral. 2. Meritò super omnes cælos exaltatus, qui se infra omnem profunditatem humiliavit. Gregorius Magnus de ascensione Christi, ad Constantinopolitanos dicit, Christū patres omnes, qui aduentum eius crediderunt, & in eū speraverunt, è limbo liberasse, & cælis intulisse affirmat, lib. 6. Epistola 15. Typus huius rei est, quòd angeli sunt visi à Iacobo in cælum ascendere, & inde descendere, Ge. 30. Et sphaera astronomorum longè minor est, quàm ut tantum gloriæ regem sustineat. Pie hic & salubriter scribunt Chrysostomus & Theophylactus. in Apostolum Phil. 2. Non solum humiliavit se in crucem, sed & in infernā: rectè ergò tanta sequitur sublimitatio, iuxta hoc: Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Sed vilem iam & humiliatum se humiliare, parum est. hoc verè palmarium est, si honoratus quispiam & altus, se submittat. Prædicabile ergò est, & ipsis reuerà angelis est admirabile, altissimum se profundissimè humiliare. Apostolus itaque hoc loco vtrunque perstringit, tam humilitatem, quàm sublimitatem. Sed descendisse Christi, non intelligendum quasi se ociosè vel gloriabundè more vrinatorū, in tantam dederit Auerni abyssum. Cyprianus in symbolum, Ambrosius de mysterio paschali, Hieronymus in epistolam Ephes. 4. commoditatem huius descensus profèquuntur. Cæcum illum infernalem confecit, captiuitatemq; eius duxit captiuam. Multa corpora etiā eorū quos Christus liberauit, Solymis sunt visa: adèd depredatio nostri triumphatoris est illustris. Ambrosius dicit, in cruce Sotera nostrum mortem extinxisse: sed ab inferis simul atque emerit, cælumque conscendit triumphator, tum demum (iuxta Apostolum) dona distribuif se. Nihil erat quo se filium Dei luculentius declarare posset Iesus, præter hoc, quòd principem & tyrannum ipsius tyrannidis deleuit: & omnes suos, hoc est, Dei timentes, ex eius ventre eripuit: idque secundum scripturas. Hoc de mysterio lege Origenem super Rom. cap.

Christi descendere quid.

Christi descendere in quo potissimum eleuescat.

5. Vbi non obscure ostendit Christum animas in limbo detentas liberasse. Dices Origenis esse, quicquid Ambrosius & alij catholici hoc de mysterio scripserunt. Vides ergo, dona Christi esse non solum terrestria, sed & caelestia. Dixi Christum tam descendisse, quam ascendisse, secundum scripturas, & hoc est quod Apostolus hic addit, dicens: Vt adimpleret omnia. Omnia, siue terrestria, siue infernalina, siue caelestia. Pleni sunt caeli & terra maiestate eius gloriae. Adimpleuit omnia, & repleuit omnia. Perficit omnia isthac sua plenitudine, hoc est, praesentia. Praesens vbiq; adest omnibus, quia Deus. Praesens operatur omnia in omnibus, sanctitatem, iustitiam, salutem, Ephesiorum primo. Omnia subiecit illi Deus sub pedes eius. Potestatem omnem dedit illi pater: Omne iudicium habet filius: vndique & ecclesia veritatis basis, Sapientiae templum, & domus septem columnis fulta. Vbi hic Ebion, Photinus, Valentinus, Samosatenus, Nestorius, & alij haeretici? Hieronymus, Sedulius, Theophylactus & alij catholici, cum nostro triumphatore Christo, egregie de huiusmodi triumphant diaboli apostolis.

*Christi triumphus
est etiam
ecclesiae.*

Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem euangelistas, alios vero doctores & pastores.

Redit ad institutum. Constituit dicere de vnitae ecclesiae in variis donis & vocationibus. Nemo sibi assumit honorem. Domini est vocare, iuxta praesentem locum. Idem dicitur 1. Corinth. 12. Dominum constituere & ponere apostolos & alios ecclesiae ministros. Iucundum est lectu, quod Theophylactus hoc loco etiam sanctae Trinitatis operationem colligit. Hic dicit Apostolus, Filium constituere & vocare ministros ecclesiae, 1. Corinthio. 12. Pater eisdem ponere dicitur, Actor. 20. idem acceptum fertur spiritu sancto. Vehemens professio sanctae Trinitatis, * esse, vocare & eligere. Vehementer itaque peccant, qui se ingerunt: vehementer peccatur, vbi fauor, stemma, potetia, & hoc genus caeterum infernalina portenta, praedominantur. Sed ad institutum. Vnus Deus, vnus Christus, vnus spiritus sanctus, vnus pater, vnum numen, vna ecclesia, vnum baptisma. Hic vero variis & plurimis opus habet ecclesia rectoribus.

*Vnitae ecclesiae in
variis v-
nibus Dei
declaratur
donis.*

*Ecclesia
classes suis
habent or
dinem.*

Varij rectores, iuxta atque diuersus grex, diuersis opus habent charismatibus. Non tamen scinditur ecclesia ista hac diuersitate, sed ædificatur. Attende classium distinctiones. Apostoli supremum locum occupantes, sanè capita quodammodo referunt vnus capituli Christi. Prophetæ secundò locantur, tertius locus datus euangelistis: Quartus honoris locus concessus pastoribus atque doctoribus vna. Ordo is propemodum seruetur 1. Cor. 12. Sed euangelistas ibi & pastores non recenset, doctores vero in tertiam dignitatis seriem collocat. Atqui in epistola ad Corinthios, agit de dono curationum, de efficacia potentiarum, de diuisione spirituum, de genere linguarum, &c. Tandem in eadem talem diuersitatem ad veritatem cogit, dicens: Sed hæc omnia efficit vnus ille & idem spiritus, diuidens peculiariter vnicuique sicuti vult. Apostoli sunt primo duodecim illi, quorum postea vices contigere pontificibus primitiuarum apostolicarum ecclesiarum: quales inter cæteras sunt Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, Romana, Constantinopolitana, &c. Rom. 16. Andronicus & Iunia concaptiui Pauli, salutantur tanquam episcopi, hoc est, insignes inter apostolos. Prophetæ sunt noui testamenti præstantiores, Ioannes Baptista, Luc. 1. Ioannes Euangelista, cuius oracula vides in Apocalypsis libro, Agabus Act. 11. Filiæ Philippi diaconi. Item prophetæ qui è Solyimis Antiochiam venerunt, inter quos etiam erat Agabus, Act. 11. Item illi de quibus dicitur Act. 13. Erant item Antiochiæ prophetæ & doctores ecclesiæ, Barnabas, Simon Niger, Lucius Cyrenensis, Manahen & Saulus. Prophetæ etiam in ecclesia vocabantur, scripturam interpretantes, concionatores & ecclesiastæ, quod vides 1. Cor. 14. In synagoga vocabantur scribæ & doctores legis: Sed in synagoga corticem saltem rosere, medullam ipsam non gustauere: hoc est, literam tradiderunt, non spiritum. Grammatei (hoc est, literatores) ergo magis dicendi, quam prophetæ. Ambrosius doctores noui testamenti vocat prophetas: Hieronymus vocat prophetas, eos qui infideles & imperitos increpando conuicerant.

*Apostoli
qui.*

*Propheta
qui.*

*Gramma
teii Prophe
te veteris
testamen
ti.*

*Euangeli
ste qui.*

Euangelistæ principio sunt quatuor ab ecclesia recepti, Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes. Post illos item di-

sti euangelistæ, Philippus diaconus, Act. 21. Apostolus item monet Timotheum, vt peragat opus Euangelistæ, 2. cap. 4. Euangelistas item arbitror dici posse omnes, qui vna cum Paulo, Petro, Andrea, Iacobo & aliis, euangelion Christi in toto mundo prædicauerunt: præcipue verò eos, quos Apostolus ait multum sudasse in negotio euangelico, Rom. 16. Sed hi quoniam euangelion ab apostolis didicerunt, apostolis non præferuntur. Apostoli euangelion ex ore Christi acceperunt, oculati testes Christi extiterunt: decuit ergo, vt status eorum excellentior cæteris esset. Prophetæ non tam ex ore Apostolorum habuerunt interpretandæ scripturæ gratiam, quam ex speciali spiritus sancti illustratione, & scripturarum sedula perscrutatione. Scrutamini scripturas, ait. illæ enim de me testificantur. Euangelistæ ab Apostolis & à prophetis instituti, docuerunt & scripserunt. Quamquam etiam plerique euangelistarum apostoli, visa & audita docuerunt & scripserunt. Vides etiam apostolorum esse euangelizare. Apostolus ait: Væ mihi, nisi euangelizauero. Idem, Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Quartus ecclesiasticæ dignitatis locus, est munus pastorale & didascalicæ. Tales fuerunt Apollus, Titus, Archippus. Horum successores sunt episcopi, parochi, & diaconi episcoporum oculi: quos Timotheus & Titus præscripto ordinant atque inuolunt Apostoli. Apostolis hi semper erant obsequentes & subditi, Act. 20. Chrysostomus dicit, eos euangelistis minores fuisse, propterea quod euangelistæ incertis sedibus vltro citroque proficiscentes, tot viarum pericula subeuntes, Christum vndique docuerunt: rectores vero hi, suas metropoles & parochias haberent. Catechistæ & exhortatores qui ad iustitiam erudiebant populum, huc referendi. Sed exhortandi & catechizandi exiguum non est munus. Apostolus hoc episcopo Timothæo præscribit. Immo etiam sese eruditorem vocat, 1. Timoth. 2. Caput item & princeps apostolorum sanctus Petrus, se sympresbyteron vocat, 1. cap. 5. Poterant Apostoli esse prophetæ & rectores & doctores, &c. Sed non omnes doctores, rectores, & prophetæ, &c. Apostoli esse poterant. Apostoli quoque ministri Christi & ecclesiæ sunt

*Pastores
qui*

Catechizandi, munus, apostolica est dignitatis

vocati, iuxta atque ipsi diaconi, 1. Cor. 4. non ergo statim diaconi erant apostoli. Sic etiam Cæsar, potest esse rex, princeps, dux, &c. non vero omnis dux, princeps & rex, ergo statim Cæsar erit. Ambrosius apostolorum vi-ces dicit hodiè tenere episcopos: prophetarum successores facit interpretes scripturarum. Euangelistas nonos facit diaconos, quoniam & diaconi possunt euangelion denunciare, sed sinè cathedra, vt idem ait. Pastores accipit pro lectoribus, qui lectionibus saginant populum audientem. Doctores dicit referre exorcistas. De dignitatibus ecclesiasticis deniquè ait: Cœpit alio ordine & prouidentia gubernari ecclesia. Sequitur: Ideo non per omnia conueniunt scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc in ecclesia est, quia hæc inter primordia sunt scripta. Hæc ille. Dicit, ecclesiæ primordiis † augustis non adeo conuenire cum amplitudine, quantum ad dignitates gubernatorum. Primitiuæ ecclesiæ suffecere primo Apostoli, postea crescente numero, additi sunt apostolis collegæ diaconi. Quid mirum ergo est, postea eundem succrescente ecclesia, etiam Rectorum ecclesiæ numerum succreuisse? Rectè & sanctè omnia sunt ordinata: hoc saltem desideratur, vt suo ordine omnia peragantur. Qua in re si quid degenerauit, ad Lydium lapidem scripturam sacram redigatur atque corrigatur. Sed hoc superis commendemus. Ad ecclesiæ redeamus ordines. Audiatur vero hic Hieronymus: Arbitror, ait, hodiè quoque in ecclesiis, quemadmodum propheta & euangelista, pastor quoque inuenitur & doctor, ita posse & Apostolum reperiri, in quo apostolatus signa & indicia compleantur: & eregione esse plurimos tam foris quam intus, tam in ecclesia quam in hæresibus, qui pseudoapostoli sint, & pseudoprophetæ, & pseudoeuangelistæ, & pseudopastores, & pseudomagistri. Et de hæresibus quidem nulla dubitatio est, quin secundum falsam fidem, falsa vniuersa possideant. In ecclesiis autem nonnè videntur vobis falsi esse pastores, qui non paſcunt oves cum disciplina, sed quasi mercenarij nequam gregis salutem cogitant: quod errauit, non conuertentes: & quod periit, non quærentes: sed tantummodo de ouibus lac & lanam, cibos videlicet & vestimenta,

Plaudite sceleratores, p[re]dones & latrones: hic publicanum videtis fieri apostolum. Plaudite, inquam quoniam & idem publicanus, factus est euangelista, atque is, qui in Euangelistarum ordine primum sibi locum vendicat. Ipse qui hoc scripsit euangelio, n[on] publicano factus est apostolus & euangelista. Sanctus Ioannes in suo Euangelio sui ipsius mentionem semel atque iterum facit, sed nomen suum, ita non exprimit. Hic noster, sine omni periphrasi Matth[ae]um se (quem *Matth[ae]* exprimunt Hebr[aei]) nuncupat. Hoc autem facit, ne putet peccator criminis apud Deum remanere memoria. C[ae]terum ne quis hic Euangelistam iactantię insimulet, publicanum se vocat. Gaudete ergo & plaudite quicunque publicani & peccatores: sed non quia mali estis, sed quia ad p[en]itentiam vocamini. Nam hic Matth[ae]us noster non dicitur publicanus, quod ita permanserit, sed quia talis aliquando fuit, vt ait Hieronymus. Sic ad gloriam Dei Simon vocatur Leprosus, quoniam aliquando leprosus extitisset. Et ecclesia ex gentibus, vocatur meretrix per typum meretricis 3. Reg. 3. Luc. 7. Item propter figuram Rahab, &c. non quod adhuc meretrix sit. Sanctificatam enim sibi Christus conciuuit. Vocatur vero meretrix in gloriam Dei, qui eam sua sola gratia expiauit. Quod in Marco dicitur filius Alphei, non putandum quod germanus fuerit filius Alph[ae]i illius, qui pater fuit Iacobi minoris, Simonisque & Iud[ae] Thad[ae]i. Fuerunt enim plures Alph[ae]i, quemadmodum & plures Ann[ae] & Mari[ae] leguntur extitisse.

*Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Faust[us] h[ab]e[n]s Matth[ae]um nomine. N[on] possum mihi temperare, quo mihi Manich[ae]i Faust[us] vesaniam tangam. Is (teste Augustino) euangelion Matth[ae]i non recepit authenticum, quod hic non fateatur ingenu[us] sese hominem illum publicanum, sed dicat in tertia persona, Vidit hominem, cui Matth[ae]us nomen erat, &c. Item, * dicit ad eum, Sequere me, Quasi modus ille loquendi, in scriptura rarior. Similes vides Num[er]. 16. Exod. 17. Ioannes quoque ita dicit: Conuersus Petrus, vidit discipulum eum quem diligebat Iesus. Attende superbiam hereticor[um]. Faust[us] Matth[ae]o fid[em] abrogat, eam vero suo defert Mani-*

Peccatores ad p[en]itentiam vocantur.

*Faust[us] h[ab]e[n]s Matth[ae]um nomine. N[on] possum mihi temperare, quo mihi Manich[ae]i Faust[us] vesaniam tangam. Is (teste Augustino) euangelion Matth[ae]i non recepit authenticum, quod hic non fateatur ingenu[us] sese hominem illum publicanum, sed dicat in tertia persona, Vidit hominem, cui Matth[ae]us nomen erat, &c. Item, * dicit ad eum, Sequere me, Quasi modus ille loquendi, in scriptura rarior. Similes vides Num[er]. 16. Exod. 17. Ioannes quoque ita dicit: Conuersus Petrus, vidit discipulum eum quem diligebat Iesus. Attende superbiam hereticor[um]. Faust[us] Matth[ae]o fid[em] abrogat, eam vero suo defert Mani-*

cheo. Sed hodie epistola Iacobi stramentitia est: aurum obrizum habendum, quod cōsarciunt polygraphi tot illuminati. Contra Manicheos, id est, insanos tales dicit Augustinus: Qui in euāgelio, quod vultis, creditis: quod nō vultis, non creditis: vobis potius, quā euangelio, creditis, Libr. 17. cap. 3. Ad textum: Cū transiret inde Iesus, itelligit ē Capernaum, vbi solo verbo curauit infirmum, & proclamatus est ab omni populo fecisse paradoxa. Stoici dicunt paradoxa, Christus ea facit. Sunt ergo Christi facta, verē magna supra omnem fidem. Lucē 5. dicitur exiuisse. Vnde conicio, Leui in piratico aliquo atque latronū spelunca sedisse, lucro inhiantē. Publicani nō minus feroces extitere, quā quēstores, & diles, Triumviri, censores, & hoc genus homines sub potestate cōstituti. Ioannes Baptista p̄scripsit illis, qui tūc erant, legem qua saluarentur, Luc. 3. Multi eorum quos Ioannes admonuit, ad bonam frugem peruenerunt: sed vox clamantis, ad aures nostrorum publicanorum non pertingit; quod miseri quicumque in dies magis atque magis experiuntur. Telonium dictum à telos, quod vectigal significat, Ro. 13. Vide vbi Mathēus federit, vide vnde ipsum Christus vocauerit. Inhonestus locus, infamis credulitatis, dicitur spelunca latronum. Nihil afferunt qui dicunt: Practica (puta conquirendi victus) est multiplex. Impium dictum esse vel ethnicorum testimonio possum ostendere. Damnant ethnici poetę dictum. Vnde habeas nemo quērit, sed Oportet habere. Item, bonus odor lucri ex re qualibet: hoc est, diuitiæ quacunque tandem congestæ ratione, spectandæ. Nobis labor incumbit Genes. tertio. 2. Theffalonicen. tertio. Et ethnicorum theologi dicunt: Panem quēramus aratro.

~~Publica~~
~~norum im~~
~~presas.~~
Publica-
norum im
presas.

Verbum
Christi
efficax.

Et ait illi, Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Pulchra contentio & inuersio verbi. Dixerat, Vidit Iesus hominem sedentem in telonio: hic, idem homo dicitur surrexisse, & Iesum secutus. Sedit absorptus ab Orco, haud secus periens, quā iumentum in stercore suo. Surrexit liber gibbo illo camelino excusso. Qua in re obseruanda potestas verbi. Parum est, pastores & piscatores laboriosum & arumnosum hominū genus, statim secu-

tos Christum, & ad præsepium dominicum properasse, Matt. 4. Luc. 2. Nō aded mira res est, Bartimæum mendicum Christum secutū, Marc. 10. Homines verò quos deus huius seculi excecauit, heu mihi, quantę molis est sua omnia relinquere, & pauperē imitari Christū, Lu. 19. Neq; itē optimates statim acceptarūt euāgelion. 1. Co. 1. Spūs itaq; & vita sunt verba Christi, dicētis: *Lech abanai*. Sequere me. Hos verbū tam fidelibus q̄ infidelibus, dictum est. Hoc verbum hoc vocat ad fidem, illos ad fidei fructus, qui fidei sunt argumentum, Iaco. 2. Viderit quisque ne spiritui sancto obicem ponat, viderit quomodo hoc verbum Christi audierit.

Et factū est, discumbēte eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius.

Marcus addit, in sua domo. Lucas luculentius, Leui eum reliquisse omnia, & secutum Christum, prius tamē in domo sua opiparum apparasse conuiuium: dochen * neque cœnam, neque prandium, sed conuiuium. Saliare conuiuium Christo præparat, quia alius homo factus, planēque immutatus. Antea rapuit, nunc plena manu dispargit. Simile vides Luc. 19. Hoc docet Apostolus 2. Co. rint. 8. Sed qui Christum recipit, ymbas eius (hoc est, discipulos) non excludit: nam & Martha eisdem vna cum Christo excepit, Lucæ 10. Nos contra præscriptum Domini Luc. 14. plutonem vocamus: ergo Christū pau pertatis doctorem, arcemus & abigimus. Vnde etiam antapodoma, id est, retributio Christi nobis non cōtingit. Pulcherrimus hic contextus, primò Matthæum tradit factum fidelem, & sic operatū bene: denique itē neminem excludit, ad Christū quoslibet admittens. Conuolitarunt enim vndiq; publicani & peccatores. Sed iam non veniunt, iuxta prouerbium, similes ad similem, publicani ad publicanum Matthæum, iam non Tiberij mācipium, sed Christi Iesu discipulum. Et proculdubio multi publicanorum aut venerunt, aut abierunt pœnitentes: & sic similes ad similem congregatos dicere possumus. Mutatur hic ordo, nouus hic ordo incipit, in quo iugum cum infidelibus non trahitur, 2. Co. 6. Non hic in via peccatorū statur, Psal. 1. Ordinis huius auspex & præses, Christus. Philo de vita theoretica hunc ordi-

*Monasti-
ce inuisa-
baticus.*

nem describit, Eusebius lib. 2. cap. 7. Nostrates euangelicatri verbum Christi, dicentis, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus: miracula sycophantia eleuant. Apostate nihil peius odio habet, quàm professionem paupertatis. Si quis dedat illis vnũ priscorum patrum huius ordinis, longè atrocius eum infectaretur, atque miseros monachos & sanctimoniales huius æui. Videbunt propediem, quem Apostolum & qualem Christum habeant.

*Pharisæo-
rum inui-
dentia.*

Et videntes pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Sic comparatum est, vt bonum aliud, aliud trudat. Et veritas, cum iudicatur, vincit. Superciliosi pharisæi oculo nequam videntes Christum cum publicanis discumbentem, murmurabant. Sic & mœsistabant quod ad Zachæum diuertisset, apud Lucam. Item ibidem muginabantur, susurrando quod peccatores reciperet. Vndique Christum à peccatoribus, bonam frugem pollicentibus, stare intulerunt. Mouit, quod ad eos dixit: Vos estis, qui ipsi iustificatis vos coram hominibus, sed Deus vestra corda nouit. Præcipue hoc mouit, quod illis octies Vx diceret, & causam eius comminationis identidem adsignaret, Matt. 23. Hoc ægrè & admodum dolenter tulerunt, expostulantes cum eo, quasi de iniuriâ, qui nomen eorum coram populo scelerate faceret, Lucę 11. Hi Christi gratiæ inimici, diaboli legati, manibus pedibusque institerunt, eos qui ad gratiam euangelij properarent, remorari. Ipsi ad conuiuium euangelicum venire cõtempserunt, & alios venire conantes, absterruerunt, Matth. 23. Sic factum est, vt multi aut Christum auersarentur, aut occultè confiterentur, Ioan. 12. Insani, etiam in Lazaron odio Christi rediuuium insidias moliebantur, Ioanis 11. 12. Sed in expuentem relabitur hoc, quod in cælum expuitur.

Inuidus alterius, rebus marcescit opimis.

Rapiunt miseri quicumque euangelica fercula, ab Occidente vsque ad Orientem, Mat. 11. 1. Tim 3. Pharisæis diuitibus dimisis inanibus, Lucę 1. Verum vos sanctuli, audite iam, quare doctor noster (Hebraicè *Melammed* vocatus) cum publicanis & peccatoribus discubuerit.

At Iesus

At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Eūtes autem, discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Pharisei videntes discipulos adhuc edentulos, os loquendi (quod illis Luc. 10. promittitur) necdūm recepisse, illorum auribus insufurrant, Christum alloqui non audentes. Sed Christus qui nisi oculus, auris, manus est & pes, audit: & respondet, Valetudinarius medico esse opus. Quasi dicat, Medicus ego sum: agroti, peccatores: firmi, iusti: medicamen, gratia: remissio peccatorum, cura: pœnitentiæ digni fructus & innouatio vitæ, recuperata salus. Iure ergo meo peccatores recipio. Vos sanctuli, vos iustitiarij, emplastrum gratiæ & malagma remissionis peccatorum ridetis, vndè iucunditatem & dulcedinem regni mei non potestis aut sapere, aut capere. Validum argumentum, naturali ratiocinatione firmatum. Phyci aiunt, Iatricen, hoc est, artem definiendi medicinam, esse propulatricem infirmitatum atque morborum, saltem curandis morbis accommodam, testis Galenus. Ecclesiasticus quoque idem affirmat cap. 38. Secunda pars apologetica Christi, habet robur propheticum. Interim verò dum hoc profert Christus argumentum, scōmmate vehementi tangit phariseos legum doctores, dicens: Discite quid sit, Misericordiam volo. Doctores & Rabinos tantæ scientiæ iubet ire ad magistros & scripturæ interpretes *ha Nebim*, & rursus fieri discipulos. Simili sarcasmo vtitur apostolus Rom. 2. dicens: Ecce tu Iudeus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, ac probas eximia, institutus in lege, confidisque te esse ducem cæcorum, lumen in tenebris versantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem. Qui igitur alium doces, teipsum non doces? Sic hoc loco ait Saluator ex Hosea *ki hesed haphatz*: *ו, velo zabab, Veda-ath Elohim me Oloth*. hoc est, Misericordiam volo, & nō sacrificium: & scientiam Dei plūs, quàm holocausta, Hose. 6. Interrogate Thargum Ionathan, sciscitami Thargū Onkelos, an possint aliud elicere, quàm quod verba p̄ se ferunt. Quid *Schembamphoras* sit, tenetis: No-

*Christus
venit me-
deri pecca-
tis.*

*Misericor-
dia est sū-
ma legis.*

men tetragrammaton non ignoratis. Superest nunc, vt prophetice scripturæ intimum quoque sensum intelligere discatis. Misericordia est summa legis. Charitatem *Esereth ha Debarim*, hoc est, decem verba, intellige decalogum, vobis vnicè commendant, Matt. 22. Omnes prophetæ & tota lex vnico charitatis verbo comprehenditur. Cætera omnia rerum sunt symbola & cæremonia. Deus symbolon & cæremonia non est, sed charitas & veritas. vndè non afficitur symbolis rerum & cæremoniis, sed ipsa veritate charitatis, hoc est, charitate non simulata. Oblectat Deum charitas operosa & efficax. Vos Iudæi scitis quid sit, *Hesed* & *Zabah*. Illud stricte postulat, hoc non item. Nec in Hosea solum hoc, sed & in aliis prophetis, Esa. I. Amos 5. Psal. 50. & alibi sæpenumerò, vbi semper misericordiam sacrificiis præfert. Locum præsentem repetit Dominus infra Matt. 12. Sed vbinam locorum inuenitur, Misericordiam holocaustis quoque antelatum? Marc. 12. vbi sic pharisæus quispiam Domino respondet: Bene præceptor cum veritate dixisti, quòd vnus sit Deus, & non sit alius præter illum: quodque diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis viribus, ac diligere proximum vt seipsum, plus sit quàm vniuersa holocausta & victimæ. Ecce tibi & ipse pharisæus fatetur, *Hesed* & *Zabah* & *Oloh* præferendum esse. Vltimè horum Hebræi holocaustoma vocant. Vndè & monechos vocatur apud Marcum, hoc est, qui bene dixerit. Ex verbis præsentibus etiam euinci potest, pietatem scientiæ præstare, hoc est, *Hesed* potiore esse, quàm est *Daath*: hoc est, Pietatem scientia præstare. Nam apud prophetam *Hesed* primò ponitur, deindè *Daath*: Hoc ipsum etiam præclare submonet Apostolus 1. Corinth. 13. Et quare non fateatur hoc Apostolus, à quo neque ratio humana abhorret? Præclare dixit Fa. Quintilianus: Si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret: potior mihi ratio viuendi honestè, quàm vel optimè dicendi, videretur. Nostrates verò euangelici, pro pudor, eruditionem potissimùm promouent, vt religionem suppriment. Sed ad verbum Christi reuertamur. Attende aptam responsionem. Vult dicere: Certum

est, Deo patri cordi esse misericordiam: placet ergò illi, miseris adesse redemptoré. Parùm ergò refert, Ego vobis placeam, necne. Gratificarer vobis, si inhumanus, miseris nec opem, nec consilia ferrem, maxima verò sacrificia taurorum & ouium vobis offerrem. Sed absit à me, vt similis vobis, minus bonum maximo præferam, idque superstitiosè. Officio meo non deero. Præcipua causa aduentus mei, est vocatio peccatorum. Veni vocare peccatores. Audite peccatores, publicani & meretrices, sceneratores, latrones, audite omnes filij Adam & Heuæ, qui omnes estis peccatores, & Dei gratiæ indigi, Rom. 3. 5. Ephes. 2. 1. Tim. 1. Quæsi & inuenti Dauid, Zachæus, Matthæus, Saulus, latro dexter Christo concrucifixus, Thamar, Raab, Ruth, Bethsabea, Magdalena, Aphra, qui omnes præclarum nobis sunt exemplû spei, vt dicit Hieronymus. Sed ne vos falsa spe laetem, aduertite quorsum vocemini. Nunquid vt in peccatis quisque suis perseueret? Absit. Sic enim filius Dei leno, histrio, nepos & flagitiosissimus omniû mortalium constitueretur. Non est Deus, ait Psalmista, iniquitatem volens. Et Deus solus est, in quem peccatur. Vndè ait, Tibi soli peccaui, Psalm. 76. Sanctus est Deus, vult igitur vt & nos sanctificemur. Vocamur itaque, non in voraginem & bacanum vitiorum, sed ex vitiorû sordibus ad fontem sanctitatis. Dicit ergò: Vade, & iam amplius noli peccare, Ioan. 5. 8. Vocamur ad pœnitentiam. Adiectio istæ, Ad pœnitentiam, non solùm hic legitur, verùm etiam apud Marcum & Lucam. Perquàm necessaria adiectio, qua cauetur, ne quis lenocinij etiam ipsum Christum arguere possit. Non vocamur per euangelion in vitæ huius leuitatem & petulantiam, sed vt strenui spiritu contra carnem pugnemus, Gal. 5. ad domandum lubricû carnis, Gal. 5. ad corpus peccati deprimendum, 1. Cor. 9. veteris Adami hostes, Colos. 3. ad patientiam, ad omnes virtutes, Matt. 5. 13. Non possum hic nõ clamitare contra hostes crucis Christi euangelicos nouellos, fructus dignos pœnitentiæ, satisfactionem nimirum, etiam contritionem & confessionem, abrogantes. Quis non videt verû in illis Antichriston? Contra hanc execrabilem hæresin catholicus quisque sacerdos po-

Peccatores vocantur ad pœnitentiam.

tissimum vergeat hoc, quod ter quaterue 1. Per. 2. repetitur, ne pretextum nequitiae euangelion Christi accipiamus. Atque hæc haecend. De sancto Matthæo, quo consilio euangelion suum conscripserit, vbi ipsum docuerit, alibi ex Eusebio & Hieronymo ostendimus. In effigie humana adumbratur, iuxta visionem eam, quæ est apud Ezech. 1. Allegoriam sanctus Gregorius paucis explicat, dicens: Christus totum simul nobis est, qui nascendo homo, moriendo vitulus, resurgendo leo, ad cælos ascendendo aquila factus est. In cuius decus hodie congregati sumus: sancti Matthæi intercessionem postulemus, vt intercedente eo pro nobis, Dominus Deus tanta æternæ salutis aperiat mysteria, nosque in sanctuarium suum, ritè sanctificatos, pœnitentiam veram referentes, inducat: in suam solius gloriam, qui vnus est Deus in S. Trinitate viuens & regnans per omnia sæcula, Amen.

DE S. MATTHÆO APOSTOLO

& euangelista, Matth. 9.

Cum transiret iude Iesus, vidit hominem, & c.

¶ Sectio.

- 1 Vera ~~penitentia~~ penitentia.
- 2 Deo grata, quia ex Dei gratia & potentia.
- 3 Hypocritica Deo aduersa, vnde vera ~~penitentia~~ arguitur gloria.

¶ Declaratio.

1 Sequere. Non vult mortem peccatoris Deus, sed vt conuertatur & viuat. Vidit, habet emphasim: hominem, idem. Binominus fuit Matthæus secundum Gloss. Ord. Hebraicè dicitur Donatus. Quadrat, quoniam Matthæus tantum munus gratiæ gratis accepit. Vocatur sine merito, sed ad meritum. Leui interpretatur * adiuctus vel adsumptus, quod significat vocatum esse ad opus, non ad ocium Surgens. Beda: Lucas plenius dicit, relictis omnibus, seculum tam corpore quàm mente. Non leuitate verborum sequebatur, sed veritate operum. Discumbente, secundum Lucam, in domo Leui. Obserua duo: Pœnitentia vera, est matura: quæ sera est, *
 2 est ~~penitentia~~ Psalm. 9. Præoccupemus faciem eius in confessione, Ecclesiast. 4. Non confundaris confiteri peccata tua, Ecclesiast. 7. Non demoreris in errore impiorum. Ante mortem confitere à mortuo quasi nihil perit, & c. Augustinus: Si vis agere pœni-

+ sequitur
 2
 3

1 122

tentiam, quando peccare non potes, peccata te deserunt, non tu illa. Vera pœnitentia est, quæ est operosa. Pœnitere, est pœnam tenere. Vide librum Sententiarum. Satisfactio est, honorum distributio. Lucas dicit fecisse magnam Christo Leni conuiuium. Secutus est Christum ad maximum supplicium, sublata nimirum cruce.

2 Et factum est discumbente eo in domo, publicani, &c. Deo grata, quia Christus dignatus est recumbere cum peccatore. Congratulamini mecum de oue & denario perduto redinvento. Pater de filij prodigi reuersione letus, conuiuium magnum apparauit. Gratia Dei magna & potentia manifesta. Sequerere, ait Christus, & sequitur Matthæus neglectis omnibus. Porphyrius & Iulianus. Augustus imperitiam historicis arguunt, quia non sit verisimile, ad vocem Christi statim sequutum Mattheum. Quantum heretici verbo tribuant, quis nõ videat? Si in succinis, in magne, in adamante, & in alijs lapillis est virtus attrahendi ferunt & paleas, &c. quid non trahat ad se creator lapillorum?

3 Quare cum publicanis & peccatoribus, &c. Falsa iustitia est fastidiosa. Oua plena fidunt, inania fluitant. vera virtute præditus, minus ostentat se, quam qui secus. Falsa iustitia, calumniosa, quia charitatis expertus. Christus excusat: Non (ait) ueni uocare iustos, tales puta hypocritas, qui iustitie Dei non sunt subditi. Ceterum etiam uocat iustos, sed ad maius meritum, ad augmentum iustitie, ut iustus & sanctus iustificetur & sanctificetur ad huc, Apoc. 22. Peccatores uocantur ad pœnitentiam, Luc. 5. Col lige uere pœnitentium gloriam: Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Quanto hypocritarum & simulatorum hereticorum maior est ignominia, tanto beatorum qui ueram pœnitentiam egerunt, qui Christum synceriter sunt sequuti, gloria maior atque illustrior apparet.

IN FESTO S. MICHAELIS ET OMNIUM Angelorum, epistolaris lectio Apoc. i.

Significauit Deus quæ oportet fieri cito, loquens per angelum suum seruo suo Ioanni, &c.

P R A E F A T I O.

Liber Apocalypsis, ab ecclesia catholica inter authenticos numeratus, planè est propheticus, multisque nominibus commodus. Ignorantes, quiduis reiicere audent. Vndè illuminati epistolam Iacobi planè diuinam, tanquam stramen sabaceum, contempse-

runt. Nunc eandem epistolam rursus conuicti apostolicam fatentur, sed impœnitentes. Gloriam Deo dare, ac dicere, Peccaui, dedignantur. In glorij itaque perpetuò permanebunt, non minùs quàm Marcion, qui & ipse librum Apocalypsios contemptim reiecit, & in sua istac superbia pertinax occidit. Peccauerunt illi ignauia, quã quàm se illuminatos subindè iactitent. Ignorantia peccasse, aliquo modo latenter & sub obscurè se fatentur: sed opinionem exoticam & hæreticam solius fidei, contra epistolam eam adhuc afferentes, ignorantiam suam dissimulare conantur. Deprehenditur verò (quod minime sperant) ipsorum & ignorantia, & pertinacia. Temeritatis & ignorantie est, quòd non intelligas, reicere. Dein conuictum errorem eum suum dissimulare, est pertinacie. Sic se habet lux euangelicæstrorum nouorum. Simili ignorantia etiam Marcion olim librum Apocalypsios repudiauit. Post illum idem fecit secta Alogorum. Visiones librum Apocalypsios faciunt obscurum. Epistolam verò Iacobi quid faciat obscuram, nisi mens obscura, oculus nequam? Qui sensum recipiunt cõmunem, librum Apocalypsion habent, præclarum. sic etiam epistola nulli est illustris, nisi illi qui orthodoxis suum sensum subiicit captiuum. Vulpes eas capit ecclesia, Canti. secundo. primè Corinth. 3. Sed pellem vulpinam & cor versipelle antiquum retinent. nos ergò simplicibus catholicis præsentem lectionem, pro nostra virili interpretabimur.

Significauit Deus quæ oportet fieri citò. Titulus hic libri, tractationem atque statum totius libri exprimit. Humanitatis Christi meritum, nobis eam Apocalypsion meruit. Christo pater omnia talia mysteria ostendit, atque illi dedit auctoritatem reuelandi ea cuiuscunq; voluerit. Hæc, ait, dixi vobis priusquàm fierent, vt cum iam fieri incipiant, vobis ea prædicta esse intelligatis. Satanam cursum euangelij Dominus Iesus vidit remoraturũ: tyrannos, hæreticos, schismaticos denique, item & ipsum Antichristum, Saluator vidit satanam excitaturum. Taceo ecclesiarum repiditatẽ insignẽ: earũ, inquam, ecclesiarum, quæ in sui principio supra fidem fuerunt feruiddæ, sed paulatim tepidæ planè factæ. Tepidæ huiusmodi

*Christi
humanita
tis meritũ
nobis om
nia reue
lat.*

& soporatae ecclesiae, per flagella irae Dei haereticos & schismaticos erant excitandae. Haec omnia praevidit, qui in sua manu omnem habet praevidentiam, & cui nihil est absconditum. Amicis suis mysteria quoque ea aperuit, Ioan. 15. Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Alios itaque dedit apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, &c. in aedificationem sui corporis. Prophetas ergo nostros non aspernamur, praecipue eos, quos uniuersalis nobis commendat mater ecclesia. Reuelationem suam Ioanes vocat Iesu Christi, nempe Iesu Christo datam, intellige de merito humanitatis Christi, qui nobis meruit talium mysteriorum praesignationem. Secundum humanitatem ipse dicit se nescire diem & horam iudicij instantis, Mar. 13. Ipse ite secundum eandem humanitatem, sapientiae accessu identidem succreuit, Lu. 2. Illi itidem, tanquam filio hominis, tandem ex merito suo data est omnis potestas, Matt. 28. Sic itidem illi datum est nomen supra omne nomen, Phil. 2. Ne ergo mireris Christo Apocal. hanc datam, quia & regnum suum si accepit, donec ponat inimicos suos omnes sub pedes suos. Tunc enim ipsum patri reddet Psal. 109. 1. Cor. 15. Denique ite verbi est, vobis omnia reuelare, haec proprietates verbi, Matt. 11. Luc. 10. Dicitur ergo liber esse Christi, non Ioannis. Sequitur: Quae fieri oportet cito: Cito, quia iam est tempus supremum. Mox finis. Non possunt ergo longum abesse visiones praedictae. Cito incipient, partim etiam cito finient, nempe quae de huius seculi statu dicuntur: partim aeternaliter manebunt, nempe ea quae de ecclesia dicuntur triumphantis. Deo omnia cito sunt, quia mille anni ante eius oculos, sunt tanquam dies haesterna quae praeteriit, Psal. 89. 2. Pet. 3. Pars etiam visionum tum, cum Ioannes eas videret, adimpleri incipiebant. Quod dicit ea omnia fieri oportere, significat verbum Domini non falli. Sic & oportuit Christum pati, & in gloriam suam intrare, quippe quod per prophetas erat praedictum, Luc. 24.

Loquens per angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quacumque vidit. Vel sic: Et ubi misisset, signavit hoc per angelum suum seruo suo Ioanni. Germanice,

Reuelatio ecclesiae, referenda ac cepta filio Dei.

Finis mundi instat.

Vnd do er hingeschickt, hatt ers angezeichnet durch seinen Engel, seinem knecht Ioanni.

Perindè est, hanc missionem & signationem patri, an filio tribuas. Si filio, sic digerenda atque ordinanda est: Primo, de sursum venit à Deo, qui eam dedit Christo. Secundo, venit per Christum signantem ipsam. Tertio, per angelon à Christo ad Ioannem missum, in Christi persona recensentem & signantem. Postremò omnium, etiam spiritus sanctus doctor & illuminator, omnia mysteria ea Ioanni declarauit. Sic vides, reuelationem esse opus S. Trinitatis. Ioannes quidquid vidit, ad ecclesiæ statum pertinet: ecclesiæ status caput & finem complectitur. Quæ de Christo per prophetas dicta sunt, completa sunt vsque ad extremum iudicium omnia. Quæ de Christi regno sunt prædicta, adhuc complentur, & subindè porro cõplebuntur, vsque in illum Diem quando Christus regnum patri suo traderet. Sic vides quid sit, Ioannem testimonium perhibere verbo Dei. Testimonium perhibet de regno Christi, de ecclesia Christi, quæ corpus est Christi. Dein testimonium perhibet de ecclesia triumphante, quæ & ipsa est Christi. Postremo item mysteria diei extremi edisserit, resolutionem mundi & finem huius seculi: Quantum ad Ioannem attinet, apparet (quod & alibi diximus) esse euangelistam testem eum, qui de suo ipsius testimonio testatur Ioan. vlt. Ioannem euangelistam harum visionum esse authorem, testes sunt patres ecclesiastici præcipui, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hieronymus, & ferè Latini omnes. Adde quod Concilium Toletanum definiuit, fatendum esse catholicis omnibus, hunc librum esse Ioannis euangelistæ & apostoli. Huius rei alia testimonia alias copiosè in medium protulimus. græculi plerique alium Ioannem huius libri authorem esse dicunt, cæterum autoritatem huic libro non detrahunt: quod solus facit Marcion hæreticus.

Ecclesia regni est Dei.

Hæreticos solius fidei prædicatores scriptis v. deprimunt.

Beatus qui legit & qui audit verba prophetie huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Exordium graue quid aliud quam attentionem requirat. Exordium proterit hæreticos solius fidei prædicatores, absolutam iuriam nudæ & meræ fidei tribuentes, opera bona nihil

ad iustificationem facere contendentes, papistas vocantes, & persequentes eos, qui fidem per charitatem operantem iustificare, & beatum facere profitentur & credunt. Vides hic, esse inimicos Iesu Christi, nouos eos euangelicos, testimoniū Iesu Christi lacerando. Testimonium Iesu Christi, prædicat beatos eos, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Ioannis verba sunt clara: et seruat ea quæ in eo lib. sunt scripta. Sic non auditores, sed factores legis iusti prædicantur, Rom. 2. Quod dico, nè noui euangelistæ secundum sapientiæ suæ abundantiam, noua quadam figura, hic nobis seruare credere significare persuadeant. Ordo hic sese declarat: Legere, audire, & seruare. Legere est perscrutari, Ioan. 7. Audire credere, quia non omnes habet aures audiendi: habet vero, cui contigit bonum cor ad credendum, Luc. 8. 11. Act. 28. Apo. 2. &c. Seruare ergo verbum, nihil aliud significat, quam præstare & facere hoc quod Dominus iussit. Caue hic Chiliastas catholicis præferas: & viuere intelligas voluptatis, & operari, cuticulam curare. Non purpura arguit Christianum, neque rosa, sed crux & corona spinea. Sic peruenitur ad veram & æternam voluptatem, hoc est, beatitudinem. Sed non disputatione hic opus est, sed opere: nè Turno & Drance disceptante, hostis vtrunque abripiat. Dicit ergo: tempus breue est, tēpus propè est, &c. Saragite vt accincti inueniamini.

Ioannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia: Gratia vobis & pax ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est, à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo. Salutatio sancta suo loco apte posita. Primo vocationem suam certam designauit. Dein auditores huius vaticinij beatos pronunciauit. Nihil hic restabat, nisi salutatio & authoris nomen. Postremo item ij quibus scripsit, erant ex primendi. De authore diximus. Salutationem paucis percurramus. Gratiam & pacem Asianis ecclesiis precatur. Pax, gratiæ filia. Gratia, Iesu Christi donum & meritum. Christum gratia sumus, quidquid sumus. Christum vero vnum esse cum patre & spiritu sancto, Ioannes itidem luculenter hic exprimit. Qui est, ait, qui erat, & qui venturus est. Qui est, quem alium intelligas quam Deum patrem? Qui erat, puta in principio, qui venturus est vsque

*Operarij
& nõ soli
creduli in
stificandi*

*S. Trinitatis testimo
nium.*

ad finem mundi in ecclesiam. Septem spiritus, septem charismata sancti spiritus exprimunt. Vnus spiritus est, hic vero propter septenarium, septenarius dicitur. De septenario vide Esa. ii. Repetit Iesu nomen, quia nomen Deo congruens. Expressè loquitur de spiritu sancto & de Christo, quia vtrunque nomen non est adeo celebre in scriptura veteris testamenti: quia infirmitas legis, horum mysteriorum capax necdum erat. Euangelica claritas lucem eam potest perferre. Vides itaque confessionem sanctæ Trinitatis hic apertissimam. Tria nomina, tres personæ, tres proprietates: vnum numen, vna essentia, vnus Deus. Non tres dii, sed vnus Deus: Pater, filius, & spiritus sanctus. In cuius nomen baptizamur, illuminamur ad eius nominis gloriam prædicandam. Christus eam nobis gratiam meruit. Spiritus sanctus operatur. Dicit ergo, Gratiam & pacem à Deo patre, qui erat, qui est, & qui in perpetuum permanebit, hoc est, venturus est. Aeternitas in patre est, species in imagine, vsus in munere. Dein dicit, Gratiam eam & pacem quæ à patre est, per Christum nobis contingere, & per septem dona spiritus nobis ingenerari, administrarique. Salutatio ea apostolo Paulo & Petro peculiaris est. Iacobus saltem generale ~~Christi~~ ponit. Salutatio & apostolica benedictio est efficax. Habet ecclesia gratiam, Ioan. i. Ephes. 4. Pax item ecclesiæ contigit, Luc. 1. 2. Ephe. 2. Veri catholici, atque adeo veri Christiani & veri euangelici, in pace possunt deprehendi, Ioan. 14. 20. Iac. 4. Habet etiam pacem in corde suo catholicus priuatus, Phil. 4. Pax vero impiis non est. Deus pater mittit & largitur merito Christi per spiritum sanctum operantem. Quod vero Apostolus hic nomen Iesu postremo, nimirum in tertio loco commemorat: primo fit, nè tibi persuadeat in S. Trinitate aliquid esse prius aut posterius, maius aut minus. Secundo, quod de ea persona dicere instituit. Sic apud Matthæum Abraham Davidi postpositum legis. De hac scribendi ratione consule Hieronymum in Matthæum. Obserua hic, apostolum patri tribuere item hoc, quod propriè filio poterit adscribi, nempe esse, fuisse & futurum esse. Propriè & hoc spiritu sancto poterit referri acceptum. Spiritus sanctus est, æternus nimirum in patre &

*S. Tria
neque ha-
bet primū
& postre-
mum, ne-
que maius
& minus*

filius: Venit in die Pentecostes, præsentior quam vnquam antea: Venturus est sic porro vsque in finem seculorum. Deum esse spiritum sanctum, creditu difficile adeo non est: siquidem & ethnici Deum spiritum, mentem atque animum fatentur esse. Sed Mariæ filium, personam eam crucis, gloriæ & potentæ huius mundi adeo exortem, credere Deum, difficilimum est. Voluit ergo librum hunc suum magis de filio conscribere, quam de patre aut de spiritu sancto, Dei est esse, hoc est, æternitas solius est *Esse Dei, quid.*
 Dei, Deus solus æternus. Apud Hebræos itaque dicitur *Iehoua.* (Quod plerique Hebræorum non legunt, vt alia nomina, sed quatuor suis literis circumloquuntur, pro *Iehoua*, dicentes: *Iod, He, Vau, He.*) Docet hoc nos Moses Exo. 3. Plato Mosis subscribit, Deum vocans *ἰδὲν*, hoc est, Deus existens, vel ens. De quo vide disputantē Iustinum *fuisse Dei, quid.*
 in parænet. ad gentes. Quid fuit, intellige ante omnia quæ facta sunt, ante omnem creaturam. Erat, in suo esse, in sua essentia, verbū apud Deum, Deus verbū, spiritus sanctus in vtroque vnus Deus, priusquā aut cælū conderetur, aut terra. Creauit omnia propter semetipsum, vt suam bonitatem & diuitias creaturis cōmunicaret, Ipse sibi sufficiens, bonorū nostrorū non indigus. Quod dictū est de verbo præteriti tēporis, Erat. Futurū esse, siue venturū esse, est *Futurū eē Dei, quid.*
 finē essendi non habere, idq; immutabiliter, Psal. 101. Tu autē idem ipse es, & anni tui nō deficient. Veniet quoque pater, veniemus ad eū, & mansionē apud eum faciemus hic in præsentī vita idēidem. Veniet & postremo in filio iudex. In hac præsentī vita venit etiam in spiritu sancto paraclero, consolando afflictos. Breuiter: venturū siue futurū patris, est & filij & spiritus sancti: quia & fuisse & esse patris, est & filij & spiritus sancti. Vnus siquidem Deus est æternus, nō tres æterni. Bestia ecclesię persecutrix, est iam, sed malē: non erat ab æternitate, neque manebit in æternū. Infra in libro ipso ipsum hoc noster hic *Ecclesia septem sibi quid velint in li. Apocal.*
 Euangelista ostendet. Rogas quid septem sibi velint ecclesię: Ephesus, Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardis, Philadelphia & Laodicea? In hisce septem Ioannes prædicauit episcopus & pāstor horum fuit antequam in Patmum relegaretur. Exulans in Patmo, officio suo episcopali, pāstorali, euāgelistico & apostolico fungi non potest.

terat: visum atque Deo Opt. Max. ut interim ageret prophetam, Scripsit itaque prophetiã eam sibi reuelatã, contra Ebionem, Cerinthũ, atque cõtra omnes hereticos & schismaticos, pacem ecclesiæ conturbantes, corpus bestię infernalis. Misit ecclesiis suis prophetiã hanc in cõsolationem. In Asiana ecclesia intellige omnes alias ecclesias totius mundi. Cœpit Antichristus in illa, postea Donatus Aphricã vexauit. Hodie hæreses quoque Europicam ecclesiam exercet. Consolatur itaque apostolus & falcit omnes ecclesias sua prophetia. Armat præiudicia utique armatura præsentissima. Mala siquidem præuisa, minus lædunt. Vnica est ecclesia: multitudinis verò numero appellatur pro locorum varietate. Triumphans plurali numero non potest appellari, quia in patria talis regionum diuersitas nulla est. Multitudinis vocabulum etiam vides Rom. 16. 1, Cor. 14. 1. Thef. 2. Act. 14. Vna tamen etiam in hac terra est ecclesia catholica, id est, vniuersalis, vnũ Christi corpus, vnum habens capit Christum, per vnum Christi spiritum agitur & regitur, vnũ habens baptismũ, vnam fidem. Summa: vnus panis, vnum corpus, 1. Cor. 10. 12. Scribit itaque Ioannes septem ecclesiis, tanquam vni, tanquam vnico corpori, librum prophetiæ vnum. Septem multa inuenies in hoc libro; propter dona spũs sancti septiformia. Septe signacula, septem angelicæ buccinæ, septem phialæ, septem stellæ, septem candelabra, &c. Heptas, hoc est, septenarius plurima in se continet sacramenta. De quibus ut in præsentia dicamus, tempus non patitur. Ad sequentia igitur abeamus:

*Ecclesia
vnica,
multa ha
bet noĩa.*

*Heptades
multa le-
gũt in lib.
Apocal.*

*Christi va-
ria nomi-
na apud
Ioannẽ in
Apocal.*

Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorũ, & princeps regum terre. Titulus præclarus nostri seruatoris & mediatoris Iesu Christi: Testis fidelis, primogenitus mortuorũ, & princeps regũ terræ. Testis fidelis, verax, certus, qui nec fallere nec falli potest: ipsa nimirũ veritas. Primogenitus ex mortuis, puta illis qui ad gloriã resurgent. Resurrectio & vita, in quẽ qui credit, nõ moritur: & qui mortui sunt, vocem eius audient in sepulcris, & resurgent exemplo Lazari. Princeps omnis potestatis, spiritalis nimirum & tẽporalis, qua vel ecclesia vel mũdus regitur. Testis, qui in hunc mundũ venit ad testificadũ de

veritate, Ioan. 18. Pater quoque testimonium dat de fi-
 lio, Ioan. 8. Item idem facit spiritus sanctus paracletus,
 Ioan. 15. Sic vides opera sanctę Trinitatis esse individua,
 iam patrem & spiritum sanctum testimonium ferre ve-
 ritati, quā filium. Ceterum filius propriè dicitur testis, *Christus*
 quippe cuius passio nihil aliud est, quàm testimonium. *propriè dicitur testis*
 Unde & crux siue supplicium Christi & omnium san-
 ctorū, vocatur martyrium, hoc est, testimonium. Ioan. *fidelis.*
 Baptista martyr, id est, testis est, quippe quinō solū Chri-
 sto verbis testimonium reddidit, sed & sanguine. Veri-
 tas odium parit: sed fortior est & vino & rege & mulie-
 re. In filio igitur Dei teste fideli triūphabunt omnes te-
 stes fideles, nō solūm de mulieribus & tyrannis, verum
 etiam de morte & inferno. Propter testimonium verita-
 tis crucifixus est Christus, mortuus item & sepultus. Sed
 ecce tibi viuit. Fortior veritas, quia Deus veritas est.
 Surrexit caput, non ergo corpus resurgere non poterit.
 Apostolus primitias vocat resurgentium, 1. Cor. 15. Quis
 dubitet caput sequi in sepulcrum, cum videat se cū eo
 rursus inde resurrecturum ad claritatem, in ipsum nimi-
 rum cælum, 2. Timo. 2. Luc. 24. Apostolus item vocat
 Sotera nostrum, primogenitum creaturarum. Et hæc est
 tituli Christi secūda pars. Primogenitus ex mortuis, vo-
 catur ratione iam dicta. Christi resurrectio, argumentū
 est * regenerationis. Dicitur ergo etiam primogeni-
 tus ex mortuis. Ceterum primogenitus creaturarum di-
 citur Coloss. 1. tanquam is ex quo omnes creaturæ, per
 quem puta omnia condita, & ipse quoque, quatenus
 est incarnatus, creatura existat. Verbum creator Deus,
 caro creatura homo. Ceterum cum resurrectio mor-
 tuorum genus sit * regenerationis, Matth. 19. dicit Apo-
 stolus Christum esse primogenitum ex mortuis, signi-
 ficans caput secuturum corpus, Dominum seruos, ma-
 gistrum discipulos, creatorem creaturam. Princeps de-
 nique vocatur regum terræ, quemadmodum & eum S.
 Petrus vocat principem excitatum à Deo. Omnis pote-
 stas à Deo. Christus solus Dominus, quippe ad cuius
 nomen se genu curuat omne. Venit princeps mundi hu-
 ius, ait, sed nihil habet in me. Sic Christus princeps, vt
 etiā illi dominetur, eumque suppressere possit, qui mor-

*Resurre-
 ctio mor-
 tuorū, spe-
 cies quæ ad
 est regene-
 rationis.*

*Christi va-
riorum no-
minū in li-
bro Apoc.
ordo.*

*Euāgelio
à præcepto
operis bo-
ni incipit,
per id trās-
igitur at-
que eo de-
mum clau-
ditur.*

tis habuit imperium, regem inferorum. Sic vides Ioan-
nem titulum præclarum Christo tribuere, humanitatē
testificantem, morientem pro testimonio veritatis, & re-
surgentem, ascendentem ad cælum per potentiam veri-
tatis. Vt cælum sit Christi regnum. Titulus hic infra
sic profertur: Rex regum, Dominus dominantium. De
eius potentia vide etiam Psalm. 2. Acto. 4.

*Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo
& fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo.* Quis nūc
dicat, Apocalypsios librum nihil habere euangelicum?
Quid magis verbis hisce euangelicum? Displicet quod
supra dixit, beatum esse eum qui sermonem euangelij
nō audiat solū, sed magis faciat? Displicet, quod per
totum librum idem toties repetit, & quod librum tan-
dem sic claudit? Vide te euangelicum non esse, vide te
ab euangelio longè esse alienum. Sic enim & euange-
lion incipit à pœnitentia, opera requirens bona. hic sta-
tus totius euangelij: sic euangeliū denique finit. Et apo-
stoli omnes idem docent, nempe fidem per charitatem
operantem, saluare atque adeo iustificare. Quid ergo
rumultuaris infelix hæresis? quid sacerdotes catholicos
Christum syncerè docentes, homines ad bona opera
atque per hoc ad iustitiā exhortantes, persequeris? qua-
re legitimos sacerdotes & parochos, tanquam nescio
quos Papisticos, amoues & expellis: & laicos aut mo-
nachos apostatas, aut sacerdotes sacerdotij ecclesiæ in-
ficiatores, schismaticos & hæreticos, catholicis suffi-
cis? Nunquid quia tibi persuasisti bene agere? Auribus
prurientibus contigit Apostolus. Præsentem locū non
intelliges, nisi bene agere tibi imperaueris. Qui aures
audiendi habet, audiat. Tria supra de Christo audiui-
mus: nunc quoque itidem tria audiamus. Audiamus, fra-
tres, effectum passionis & resurrectionis Christi. Prior
trias, gloriam Christi capitis Ecclesiæ continet, titulum
nimirum magnificentum. Præsens trias, commoditatem no-
bis Christi incarnationis, passionis & resurrectionis de-
clarat. Christus persona quidem crucis, forma serui, cor-
pus referens similitudinem peccati. Sed ecce ille Chri-
stus, illa persona crucis, fidelis est testis, primogenitus
mortuorum est, & principes regum terræ. Vides glo-

riam Christi, vides fructū sacramenti incarnationis. Si-
 mile vides apud Apostolum Rom. 16. 1. Tim. 1. Sed tria-
 dem factam videamus. Primò dilexit nos, secundò lauit
 nos, tertio cohonestauit nos, reges & sacerdotes consti-
 tuens. Maiorem charitatem non inuenias, Ioan. 10. 15.
 Roma. 5. Declaratio charitatis, exhibitio operis. Dedit
 ergo semetipsum pro nobis, Galat. 1. Nihil hic gloriari
 potest homo de merito. Sic enim Deus dilexit mūdum,
 vt filium suum vnigenitū daret pro eo, Io. 3. Tunc cum
 inimici adhuc essemus, Ro. 5. Hac de re in die S. Bartho-
 lomæi. Lauit item nos in sanguine suo. Primum, quod
 iam recensuimus, pertinet ad sacramentum incarnatio-
 nis. ritè ergo sequitur de sacramèto passionis. Effectus
 passionis, est remissio peccatorum. Hic primò confide-
 remus nostram & parentum nostrorum immunditiam.
 Ethnici eramus, Dei ignorantes, idololatraz, atque adeò
 Dei hostes: victimæ eramus diaboli. Sed agnus Dei vi-
 ctimam se patri offerens, nos ex antiqui hostis fauce eri-
 puit: occisus, vt in sanguine eius mundaremur, Ioannis
 1. Corpus eius nobis datum, sanguis eius pro nobis ef-
 fusus, in peccatorum eluendorum sacramentum, Matt.
 26. Lucæ 22. Filij iræ, facti sumus dilecti filij in dilecto
 filio, Ephes. 1. Sanguis & aqua profluxit de latere Do-
 mini, in sanctificationem & in purgationem, 1. Corin.
 6. Ephes. 5. Titum 3. Sanctitatem verò eam & munditiã
 custodire habemus, per eam Christi passionis virtu-
 tem, Coloss. primo. 1. Ioan. 1. 2. Fecit nos reges & sacer-
 dotes. Hic obserua, ex qua profunditate ad quam celsi-
 tudinè nos euexerit atque exaltauerit. Mancipia inferni
 fecit domesticos Dei, Eph. 2. Hæredes regni cælorū, Ro.
 8. Amicos, Io. 15. Fratres, Psal. 21. Reges nō mundi pro-
 phani prophanos, quia neq; Christi regnum est de hoc
 mūdo, sed supra mundum, vt etiam angelos iudicemus.
 O gratiam, o gloriam. Petrus eadem ferè probatur,
 1. cap. 2. βασιλεὺν ἱεράτουμα, hoc est, regiū sacerdotium. *Sacerdo-*
 Vide quale sit nostrum regnū, vide quales simus reges, *tes & qua*
 vide quæ qualia regalia. Qualis rex caput nostrū Chri- *les reges in*
 stus, tales nos sumus reges. Mundus vanus & immun- *Christo lo*
 dus. Nihil ergo nobis & mūdo. Nos sursum vocamur, *su simus.*
 Sursum corda, ait Ecclesia, habemus ad Dominum.

*Tria Christi
 sibi incarna-
 tionis, pas-
 sionis, &
 resurre-
 ctionis.*

*Libertū ar
bitriū fide
lib^o esse Ec
clēsia non
dubitat.*

Reges, ne regnet peccatum in nobis. Reges, vt hostem antiquum expugnemus. Sacerdotes, ad offerēdum nos ipsos hostiam gratam, acceptam, &c. Rom. 6. 12. Dubitet hic Manichæus, libertas ne arbitrij regibus talibus sit concessa: Ecclesia sanè non dubitat catholica. nō hic audis nomen sine re. Nomen hic audis reale, certum, & verum. Datum nobis velle & posse. Quod si hic nobis aliquid deest, nostræ focordiæ hoc est adscribendum, non diuinæ clementiæ. Dilexit nos, nihil charitatis officiorum erga nos obmisit, abundè omnia præstitit. superest vt grati simus, vt mereamur ex fide in fidem pergere, ex charitate in charitatem ascendere, sancti sanctificari adhuc: ad laudem gratiæ eius, & ad gloriam nominis sancti eius, quod est benedictum in secula seculorum, Amen.

IN EODEM DIE FESTO SANCTI
Michaelis Archangeli, Euange. Matth. 18.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: *Quis putas maior est in regno cælorum? &c.*

PROOEMIUM.

PHILOTIPLOS hic vitium castigat Magister humilis Christus. Alibi ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Nullum vitium est quod Christo adeò pugnet, atque ambitio & superbia. Grande crimen, in quod Germanicum facit dictum: *Sochmut thut nymer gut*. Nihil boni profert fastus, qui omnis iniquitatis est caput. Contra hoc execrabile malum, notandū hoc Chrysofomi: Quicumque desiderauerit primatum in terra inueniet cōsulationem in cælo. Nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit. Extat adhuc Germanicum dictum: *Soch hie, tieff dort*. Summus hic, inius illic. Operæ precium itaque fuerit, nobis semper ob oculos ponere Homericū Moly & Pythagoricum Y. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Virtutis huius herba atque arbor est amara, fructus dulcis. In mentem venit mihi hic Homericū Moly, Subit item literę Pythagoricę Y. Serenitas post nubila gratior esse solet.

*In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? In illa hora, p̄ta quan-
do*

do didrachma Petrus est iussus soluere pro Christo & se, capite præcedente 17. Rogarunt item de primatu, videntes Christo Petrum vndique magni fieri, vtpote cui clauēs regni cælorum receperit, sup. 16. Denique & filios Zebedæi, proximè & secundùm Petrum, Christo viderunt magis familiares, quibus se gloriosum ostendit in monte Thabor. Putabant itaque aliquem horum ecclesiæ præficiendum. cura superuacanea. Radices superbix vitium aliud in carnem egit. Sed fortior est spiritus Christi, spiritu huius mundi. Bonum est itaque Christo cohærere. Infani, qui in dubiis ad hæreticos confugiunt, à Christo & eius discipulis alienatos. Apostolica, catholica, orthodoxa, Romana ecclesia, suo iure occupat Christum: hic aduersus omnia dubia consilium, aduersus omnia peccata remedium. Sic ferè tractant locum hunc Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus. Lucas dicit, discipulos inter eundem de primatu non nihil mente concepisse, dominum quæ Iesum ad cordium cogitationes respondisse, cap. 9. Marcus dicit Dominum suos interrogasse cum Capharnaum peruenissent. Matthæus vtrunque exprimit, cogitationes nimirum & apertam oris confessionem apostolorum.

Dubia ad ecclesiam deferenda.

Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Carnalia cogitat caro: vult Christus, vt ea quæ sursum sunt, probè æstimemus. Hoc monet & Apostolus Phi. 2. Anthropi, id est, in cælum adspicientes, vocantur homines Græcis hac ipsa ratione. Quin & effigies humana ipsum nos monet. Dicit enim Poeta: -

Pronaq; cum spectent animantia cætera terram,

Os homini sublime dedit, cælumq; tueri.

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Sensus est, Regno cælorum & aulicæ pompæ nihil conuenire, cælestia non sapere concupiscentiam carnis & oculorum. Pulsionem itaque, cum peruenissent Capharnaum, & ædes quasdam intrassent, medium statuit, monens vt vel ab illo regni cælorum mysteria addiscant. Quale & vides Matt. 6, Luc. 12. vbi ab auibus cæli do-

Demonstratio prophetica, efficacior demonstratione philosophica.

Anabaptistarum error.

Strinam sanam sumere iubentur. Propheticum hoc. Hu-
iusmodi multa vides apud Salomonem, in Hieremia &
Ezechiele, &c. Demonstratio hæc maius pondus habet,
quàm rhetorum hypotyposis, qua non narrari, sed agi-
res videntur. Obserua paradoxum. Hic imus, illic supre-
mus: hic celsus, illic infimus atque nullus. Ideam hanc
semper ob oculos nobis ponamus, semper in corde ha-
beamus. Qui vult in vitam ingredi, putrescet & gracile-
scet prius. Arcta est ianua. Mat. 19. Mar. 10. Lucæ. 8. 19.
Hoc cum primis obseruet homo, quo Marc. 9. Domi-
nus Iesus, puerum amplexatus, suos est allocutus: Qui
huiusmodi recipit, me recipit. Denique hoc quod ait,
Talius est regnum cælorum. Facessant hinc hæretici.
Talius hoc, exotico sensu intelligendo, pueros quibus
Christon tantoperè affectum semper videmus, tan-
quàm non sint homines, regni cælorum exortes statu-
tes. Catholicus hic sensus sic habet: Talius, puerorum
ipsorum, & omnium puerorum innocentiam præ se fe-
rentium. Vtique etiam puerorù, quibus benedixit, quos
recepit, quos amplexabatur, quibus manus imposuit, &
cæteris hoc genus officii prosequabatur: talius, in-
quam, est sacramentù bapùsmi aqua & spiritus, 1. Petr.
1. Ioan. 3. Tit. 3. Talius, sic est accipiendum. Demon-
stratio enim non solùm respicit ad minimos in regno
cælorum, puerilem innocentiam referentes, Mat. 10. 25.
sed & pueros quoque ipsos complectitur demonstra-
tos. Sic Apostolus Rom. 1. Gal. 5, talius siue talia voca-
bulo vitur. Vicia pleraque recenset, deinde dicit regnù
cælorum capeffere non posse qui talia faciunt. Quis hic
tam infans esse possit, qui dicat Apostolum non de e-
numeratis peccatis, sed de similibus locutum? Dixit A-
postolus animo præfenti non hæc, sed talia, qui hæc &
alia crimina à regno cælorum nos rememorari docet.
Si solùm hæc dixisset, poterat humana nequitia, alia sibi
licita arbitrari. Sic & Christus non dicit, horum: sed ta-
lius: quia non solùm infantes, sed omnes ad similitudi-
nem infantilis innocentie adspirantes, in suum regnum
recipit. Theophylactus de simplicitate & innocencia ac-
cipit, non ergò statim à regno cælorum arcendi infan-
tes, Hoc faciunt hæretici, catholicum medium semper

excedentes. Pueri (vt Augustinus ait) in altero credunt, in altero peccarunt. Vnde credunt? quomodo credunt? Fide parentum. Si fide parentum purgantur, peccato parentum pollati sunt, ait ille: atque hæc est salutaris orbita regulæ ecclesiasticæ, quam qui sequitur, non exorbitat. Videmus etiam pueros in primitiua ecclesia martyrio coronatos. testis Eusebius lib. 8. cap. 8. Histo. Trip. 7. cap. 32. Pueros, Homines esse, Ambrosius de uocatione gentium declarat. In ecclesiam receptos semper, Eusebius ostendit lib. 5. cap. 21. Histo. Trip. lib. 11. cap. 13. Et hoc ibi commemorat, Iudæos odio Christi puerum crucifixisse. Quod etiam postea Tridenti paucis ab hinc annis patrisse infelices, memoriæ est proditum. Idem sapius item commississe verpos, certum est, quam nos puerorum deuoratores fugillent, teste Origenes contra Celsum li. 6. Et Tertulliano in Apologetico. Sed ad contextum. Amen dico vobis: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri isti, &c. Dicit hic Nicodemus: Nunquid in maternam aluum adultis redeundum? Quale Plinius de puero Saguntino quodam commemorat, & quale Poetæ de suo Baccho, quem bis factum vocant, commenti sunt. Respondeo, Allegorica elocutio hic est. Pater caelestis est genitor: Ecclesia Christi, est genitrix & matrix. Semen est verbum. Pueritia est nouus affectus & noua vita. Non pueritia intelligentiæ, sed malitiæ, ait Apostolus 1. Corin. 14. Expressius idem docet Roma. 16. Volo vos sapientes esse ad bonum, synceros autem ad malum. In hac ecclesiæ infantia, nulla est arrogantia, nulla ambitio: crepundiis contenti, non sunt profundi corde, qui ambulent in mirabilibus supra se. Non sunt duplices animo, sed humilibus consentiunt. Non comminiscuntur sectas nouas, non despondent sensum communem. Ecclesiam matrem, etiam correcti virgis, amare pergunt, vt dicit Theophylactus. Non student artibus, quibus circunueniant in negociis fratrem, sed ipsi sunt candor. Dicit ergo Hilarius: Hæc omnium affectionum assumpta nobis & consuetudo & voluntas, calorum iter peruium præstat, Chrysolsto. hic erroris conuincit Manichæos, qui naturam ex malo esse docuerunt malam. Quod si esset, cer-

Pueri fidelium, credunt, fide parentum.

Pueri martyres Christi.

Pueritiâ euangelio nobis commēdat, & qualem.

Pueritiæ euangelicæ exemplū.

tè Dominus hic de puerili innocentia vanè esset philosophatus. Exemplum puerilis candoris petendum puto ex ecclesia primitiua, nostra siquidem ætas nimium sapit, adeò vt etiam pueri nasos rhinocerotis habeant. Puerilem, hoc est, candidam & simplicem vitam Christianorum priscorum describit Eusebius lib. 4. cap. 8. item 10. cap. 10. Item Augustinus in lib. de moribus priscæ ecclesiæ. Lucianus quoque Antiochenus sacerdos, vitam Christianorum mira laude prosequitur in oratione contra ethnicos apud eundem Eusebium 9. cap. 6. Basilius & Gregorius, disciplinæ ecclesiasticæ censores extiterunt non pœnitendi. ibidem lib. 11. cap. 9. Ibidem item vides, quæ vera sit eremitica philosophia, cuius non immeritò dixeris præcipuè auspices Heliam & Baptisten. Quæ miracula eam Christianam pueritiam sint secuta, vide hist. Trip. 2. cap. 21. 5. cap. 33. Nihil diabolus tam offendit, atque ea synceritas, 6. cap. 29. Ibidem Christianismus dicitur consistere in ipsa vita. Valentinianus ergò ipsos catholicos sacerdotes hortatur, vt vitæ candore instent lux esse ecclesiæ, Hist. Trip. 7. cap. 6. Breuiter: huius vitæ puerilis admonet nos ipse baptismus Rom. 6. Galat. 3. Tit. 2. 3. Huc facit significatio vestis candidulæ, quæ nobis offertur statim à baptismo: De veste ea dicit Fuldenis Rabanus: Post baptismum traditur Christianis vestis candida, qua significatur innocentia & puritas Christiana, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis, immaculatam seruare debent, vt repræsentent ante tribunal Christi. Tege igitur post sacram unctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri. Certa Christi doctrina. Superest, vt eam imis condamus pectoribus, atque semper vigilantibus oculis contemplemur.

Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno celorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris. Hic tandem expressus ipsis responderetur apostolis. Maior erit, qui minimus est. Quæ responsio in ænigma aptum no-

stræ professioni poterit verti. Similis est responsio, quæ dicit filiis Zebedæi: Meum non est, dare vobis federe vel ad dexteram, vel ad sinistram meam, sed quibus hoc præuidit pater meus cælestis. Exaltationis quoque gloria, quæ in regno Dei est, in humiliationis gratia penitus est sita. Cæterum qui seipsum exaltat, humiliabitur. Stultis fit honos onus, quia honoris nesciunt onus: nec petunt laborem, sed honorem. Vide Lucæ decimo octavo. Ezech. decimo septimo. Contrà, quo se quis hic magis submittit, tanto in alia vita maiori honore inclarescet. Quid (vt exemplis agam) æquè humile hæc in vita fuit, atque Ioannes Baptista? Dicit enim; Non sum dignus, vt procumbens soluam calceamenta pedum eius. Nihil item æquè submissum fuit, atque virgo ea, quæ Dei genitrix erat electa & designata, immò etiam facta: ipsa verò cognata officiosa esse non supersedit, seq; ancillâ Dei gessit. Et nulla maior humilitas vsquè inuenitur, quàm Christi Iesu regis gloriæ, qui omnium nostrum se seruum dedit. Obserua, magnum vel minimum vocari in regno cælorum hominem, non ex verbis, sed ex factis. Testis veritas Matt. 5. Qui soluerit vnum ex minimis istis mandatis, minimus vocabitur: qui autem facit & docet, magnus habebitur. Quod adiiciendum duxi, propter novos illuminatos, operibus disciplinæ nusquam non detrahentes. Sequitur in contextu: Et qui exceperit vnum puellum talem &c. Occasione accepta ex puello, iam ad suos sermonem conuertit, culpam & meritum declarans cum eorum qui pueraſcunt, tum eorum qui in gigantes abeunt & tyrannos. Qui de minimis ecclesiæ filiis benè merentur, operam non ludunt, Mat. 10. Luc. 9. Acceptum sibi fert Saluator, quicquid minimo cuius obsequij impenditur. O bonum Deum, qui nos in suis ipsius bonis fœneratores & creditores constituit, seque in pauperum persona debitorem facit. Contrà verò, ô districtum iudicem, qui etiam suâ maiestatem in minimis quibuscunque læsam vlciscitur. O quantam vtrinque homo sibi conciliat aut gratiam, aut culpam. Sequitur ergò: Qui autem offendit vnum de paruulis illis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, &c. Hoc est, Suppli-

*Magni
vel mini-
mi vnde
dicamur.*

*Scandalis
cauendum.*

cium quodcunque corporale & temporalis pœna, ut-
 cunque turpis, illi præstaret, Hebraicum *Michsol*, &
 Græcum scandalon, sibi satis consentiunt. Illud deriva-
 tur à *Chasal*, quod ruinam & casum significat: hoc rui-
 næ occasionem importat. *σκανδάλισω* liquidem occasio-
 nem ruinæ præbeo, significat. Conuenit Hebraicum
Hichsil, quod significat facere aliquem ture. Qui per
 prauum dictum aut per peruersum factum, alteri erran-
 di & peccandi præbet occasionem, scandalizat. Hic ve-
 rò metaphoricè significat fratrem molestare. Chryso-
 stomus accipit pro contemptu proximi & contumelia,
 Theophylactus pro iniuria, Hilarius pro intimatione.
 Ex omnibus colligimus esse hoc ipsum, quo nos satan-
 as pessundatos, secum in auernum trahere nititur. Om-
 nium execrabilissimum scandalum est, malo exemplo a-
 liis occasionem lapsus præbere. In omni scandalo duo
 sunt, offendens & offensus, lædens & læsus: vtrunque
 durum. Sed satius est iniuriam ferre, quàm inferre. Fieri
 potest ut is qui patitur, meritum patientiæ sortiatur: qui
 verò iniuriatur fratri, culpæ immunis esse non potest.
 Culpa scandalizantium, hic omnium durissima delinea-
 tur. Quasi dicat: Pati debet Christianus, non lædere: qui
 verò lædunt, valdè præuaricantur. Tolerabilius erit Ty-
 ro & Sidoni, Matt. vndecimo, Luc. decimo. Aduertant
 euangelici, qui scandali nullam penitus habent ratio-
 nem. Mola asinaria, trusatili est magis ponderosa:
 profundius ergò sedit, in mare immissa. Vide Origenem
 Hilarium & Ambrosium super Lucam capite decimo-
 septimo.

*Væ mundo à scandalis. Necessè est enim ut veniant scandala:
 Veruntamen væ homini, per quem scandalum venit. Si autem
 manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice
 abs te. Bonum tibi est, ad vitam ingredi debilem vel claudum,
 quàm duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem eter-
 num. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.
 Bonum est tibi, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos ocu-
 los habentem, mitti in i gehennam ignis.* Prosequitur scandali
 malum. Execrabile hoc malum, vocat Origenes dia-
 bolicos angelos & choros, quoniam indè sancto e-
 uangelio in hoc mundo detrahitur, regnum diaboli

Scandalum
 quanti cri-
 minis.

augetur. Consideratione tanti mali Dominus Iesus hic exclamat, atque ait: Vae mundo à scandalis. Mūdus prorsus in maligno est positus, nihil potest nisi malum, primè Ioan. quinto. Matth. duodecimo. Oportet igitur vt scandala fiant, non propter verbum, quasi iubeat aut faciat ea Deus: sed propter suam ipsius malitiam, quam prædicit & prouidet Deus. Necessitatem de qua hic dicitur, multis declarat Chrysofomus mundi esse, & non Dei. Scitum simile adfert periti medici, nacti ægrotum intemperantem. Dicit illi medicus: Eccè tibi, viuere non poteris, fieri non potest vt ab hoc morbo libereris: mihi siquidem non obsecundaris, sed morbo. Iam culpa mortis non est medici, sed ægroti inobedientis. Oportet etiam vt in mundo sint valetudinarij, videat quisque nè sua culpa atque vitio in infirmitates incidat. Sole oriente, nec esse est vt multi offendantur oculi, caliginosi nimirum, epiphora item & ophthalmia laborantes. Sic & euangelica claritate exorta, non defunt illi reclamantes. Nemo vero poterit dicere, Deus me implanauit, ipso infligante edi veritatem. Non hoc Apostolus ad Romanos docet, cap. 9. 10. & 11. Mentitur hæreticus, qui hoc de Apostolo blaterat malignus. possumus irruentibus & instantibus scandalis resistere, idque in nostra est manu. Vndè monemur Luc. 17. vt ea vitemus. Per mundum, homines seculo dediti, hoc est, filij huius seculi, intelligendi. Item secundum Theophylactum, homines in terra repentes, & pedes stabiles non habentes, quibus progrediendi moram quiuis statim nexerit.

Qui cecidit, stabilis, non fuit ille pedes.

Respectus etiam habendus infirmorum. Contemptus proximi, execrabilis illa cataphronesis si non esset, non tot scandala videremus. Nunc dicimus omnes: Quid mihi & mortuo illi cani? Ita non agit ferias diabolus. Sed erit quando eius mali quoque finis erit, Mat. 13. Sequitur: Si igitur manus tua vel pes tuus tibi fuerit obstaculo, abscinde eum, & proiice abs te. Audi frater euangelice verbum euangelij. Non dicit, gladio quoslibet pete, bella quibuslibet infer, cælumque terra misce. Si offenderis, eccè iudex ante ianuam adstat, atque dicit: Mihi ultio, Deut. 32. Rom. 12. Vide tu nè quem scandalo afficias.

*Mundus
qui sit, cui
Dominus
væ inter-
minatur.*

Nec est quod scandala saltem ab alijs tibi poni credas, vide ne tute tibi scandalum exhibeas. Domus mollis strutura, vestium ornatus, gemma in articulis, offendiculo esse possunt. Sic fit, vt currentes, proprijs suis vestibus intercipientur. Aduersus seipsum homo sic acris, mitis erga proximum. Duriter in seipsum animaduertat, atque in pœnas strenuè contra seipsum eat, proximo parcens. Omnis præsens pœna, nulla est, collata ad futura supplicia. Dicendum ergo: Hic vre, hic sœca. Dicit: Atqui cautum est in lege Domini, nè quis sibi ipsi manus inferat, Exod. 20. Et natura comparatum est, vt suam quisque carnem amet, Ephe. 5. Respondeo, Christou hic & Matt. 5. loqui parabolicè. Primo de membris allegoricis, hoc est, de patre, matre, fratre, sorore, vxore, filiis, amicis, affinis, qui nostra dicuntur membra. Vndè etiam gradus habemus consanguinitatis & affinitatis. Sic accipiunt hùc locum Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, Theophylactus. Amare, colere, nutrire parentes, vxorem, liberos, necessariosque, æquum est, lege nimirum naturæ hoc poscente, Exod. 20. Deut. 5. Mar. 10. Ephes. 5. Hæc membra nos non scandalizantia, neutiquam sunt abscindenda, hoc est, derelinquenda. Adhærendum maximè illis, modo defensio nostræ doctrinæ (vt ait Tertullianus) consistat, secundum scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam. Ceterum Deus ante omnia amandus, huius legi, huius amoris, huius disciplinæ si moliantur moram ea, de quibus iam dixi, membra, rescandenda, Matth. 19. Luc. 14. Vbi iubemur non solum derelinquere, sed & odisse omnem sanguinis propinquitatem, sed propter nomen Iesu. Odium hoc item nobis commendatur Psal. 118. 138. Exempli causa: Capit me tædium vanitatum huius seculi: in ædibus paternis, vbi pompa, luxus, auaritia, rapina, Cupido, Venus, Voluptas, Mammon, planè regnant, memet emergere tot è malis non posse animaduerto. induco ergo animum, vtile mihi esse, in cœnobium aliquod confugere. Parentes vero, fratres & familia Orci mancipia, religionis conceptum remorari nituntur. Hic locum habet verbum Hieronymi: Per calcasum perge patrem, &c. Præstat offendere parentes, quam Deum, Act. 5. Amputa membra offendentia a-

*Manus
sibi vt in-
ferat ho-
mo, euan-
gelion mû-
dat.*

*Parentes
relinquend.*

nimam: hunc gladium vides tibi creditum Matth. 10. Aliud exemplum: Filius est mihi, cui nouum euangelion hoc, quo sibi hodiè illuminati illi adeo placent, est cordi: Missæ itaque officium auerfatur, sacramentum eucharistias in riscio pro infirmis contentum, execratur: synaxios alteram speciem contemnit, nec item vtriusque speciei administrationem approbat, nisi secundum Norimbergensem, seu Vuittembergensem, seu Tiguriensem ordinationem conferatur, &c. Excidendum putre hoc est membrum, vt ut charum, quantumuis commodum, zelus domus Dei, mihi hîc potior esse debet, quam domus meæ decus. S. Hermegildus sic noluit communicare cum patre suo Arriano, malens etiam à parente occidi. Secundo, membra nostra sunt res familiaris, domus, thesaurus, prædia, &c. Hæc quoque offensiuâ nobis sunt reicienda, Luc. 14. Denique membra nostra, ea quæ refecare iubemur, sunt prauitates, mali affectus & cupiditates. Exemplum esto Apostolus, dicens: Subiicio corpus meum, & in seruitutem redigo, nè quomodo fiat, vt cum aliis prædicem, ipse reprobus efficiar. Mortificationis hîc sermo durus est, quia de numero eorum sumus quibus dicitur:

Visite, nam meminit viuere nemo satis.

Quod si veri euangelici essemus, quales videri & haberi volumus, euangelica hæc apocope infrequens nobis non esset.

Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in celis semper vident faciem patris mei qui in celis est. Comminatio vehemens. Videte, ait. Cauete nè lædatis. Immo instate vt profitis atque commodetis. Paruuli hîc etiam sunt, minimi quicumque in ecclesia, vt pueritia non æstimetur ab annis: æmula liquidem (vt ait Ambrosius) puerilis simplicitatis bonitas designatur. Videte vos optimates cum fori, tum chori, nè contemnatis vnicū ecclesiæ Christi minimū. Cauete vobis violenti tyranni ab omni iniuria: quia tantæ iniquitati parata est vehementis pœna† *Ge binom*, vbi potentes potenter tormenta patientur. Lacus sulfereus, Apo. 21. Angeli eorum vident semper faciem patris mei. Angelorum prius dignitatem auerſe, & postea dignitatem minimorum ecclesiæ filio-

*Liberi re-
linquendi
& execra-
dendi.*

*Membra
nostra re-
secanda.*

*Angelo-
rum digni-
tas.*

rum æstima. Angeli sunt gloriosi spiritus, de quibus Psal. 69. 103. Heb. 1. Ignis sunt, hoc est, maxime sunt gloriae & maiestatis, quibus licet Dei gloria frui. Tantę mentes beatę (audi superbe Nemroitha) sunt ministri eorum qui hæreditatem capiunt salutis, Heb. 2. Offerunt eorum gemitus, lachrymas & vota, vt dicitur in libro Apocalypseos, quod & multis docet Hilarius. Lazaron diues purpuratus anony mus ille abhorruit: sed eccę tibi, maximi Lazaron mendicum fœtidum hulcerosum illum semper fecit pater cęlestis, huic angelos ministros præfecit. Defunctum illi gloriosę deportant ę sterquilinio & fimo in sinum Abrahamę. Noli hoc mirari. Nam ecclesię quicumque filij, sunt etiam in hac vita domestici Dei & conciuēs angelorum. Post hæc & ipsi angeli erimus, Matth. 22. Obserua, angelos leiturgicos, hoc est, administratorios dici in epistola ad Hebręos & angelis suis mandauit de nobis Psal. 90. Angelorum uisitatione seruamur, Psal. 33. Angeli liberarunt Loth, Gene. 19. populum Israel, Exo. 14. 22. 32. Apostolos, Act. 5. Petrum, Act. 12. Euangelicę doctrinę memoratus ille magister Origenes, in Luc. hom. 23. dicit omnes ecclesias angelos habere præfides. Item hom. in Luc. duodecimo cap. putat quamcunque regionem, quemcunque hominem, cum malum, tum bonum habere angelum, hunc ad bonum monentem, illum ad malum instigantem. Sub mundi conditionem factus casus quorundam angelorum, Luc. 10. 2. Petr. 2. Hi iam inuidēt nobis eam salutem. Vndę diaboli inuidia mors uenit in orbem. Vide Basilium magnum, ubi ostendit Deum mali authorem non esse. Diaboli sunt uitiorum incentores, & mali omnis authores. De gloriis & de nouem choris angelorum legat sacerdos Dionysium de cęlesti Hierarchia. Item Origenem, de Principiis libro primo, capite quinto & octauo, libro secundo, capite vndecimo. Si authores illos legerit, angelos bonos uidebit uirtutum esse ministros, & apud Deum uirtute humilitatis & obedientię magnam sibi gloriam meruisse. Noui euangelici fratres, libertatem arbitrij negantes, quid aliud faciunt, quam quod Deum tam boni quam mali authorem constituunt? Hoc euangelion qui non adorat, male apud eos audit: hunc auer-

*Ecclesia
filij sunt
domestici
Dę.*

*Angelo-
rum malo
vñ ruina.*

fantur, hunc insequuntur, illum Deo ignotum, angelorum custodia destitutum credunt. Videat catholicus, nè filios Terræ gigantes illos timeat: videat ne statuam Babyloniam auream eam nouarum ordinationum adoret. Quod si minimi fratris tædium nos capere non debet, multo minus Ecclesiæ catholicæ nos pudeat oportet. Obseruemus ergo, quod omnes obseruarunt S. patres, fidei Iesu Christi, traduces. Nemo pudeat filium se dicere & profiteri Ecclesiæ, dum interim hæretici nouo nomine se valde efferunt Euangelij. Viderint miseri, cuius euangelij. Nos esse minimos ecclesiæ filios, summa nostra sit gloria: nisi enim ecclesiæ filii simus, Christi esse non possumus. Omnis consummationis vidi finem. Nullum violentum perpetuum. æmuli illi euangelici nominis hæretici, propediem vna cum Turca per Michaelem exterminabuntur. Stat enim ille aduersus Babylonicos eos, Dan. 10. & 12. Apoc. 12. Iud. 1. Hoc est syncerum euangelium paternæ traditionis, sensusque communis, cuius nos etiam non pudet. Huius auspex Christus rex angelorum, caput ecclesiæ, defensor & patronus omnium suppressorum. Hic sit laus & gloria vna cum patre & spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen,

DE S. MICHAELE,

Marth. 18.

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, &c.

¶ SECTIO:

1. *Via ad patriam arcta, & insidiis obnoxia variis.*
2. *Consilium dat pater, & presides seu duces angelos hominibus prefecit.*
3. *Homo tenetur sequi verbum, & colere suos duces seu custodes.*

¶ DECLARATIO.

1. *Quis putas maior est in regno celorum, &c? Quicumque se humiliauerit sicut paruulus iste, &c. O arctam viam: oportet nos renasci. Argumentum humilitatis, acquiescere verbo Dei. Saul non acquieuit. Hæretici non acquiescunt sensui communi, angeli acquiescunt. Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Qui faciunt voluntatem eius: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammæ ignis. Dein pueri sunt mites. Exepliū Valerius Maximus*

de Catone recitat libro 3. de indole, qui visa Sylla crudelitate, commotus contra Syllam, &c. Et Christus cum baiularet sibi crucem, pueri fluerunt cum mulieribus. Heretici sunt crudeles, Iacob. 3. quia emuli & diabolici. Angeli sunt mites, quia diabolis contrarij. Via periculosa, remora plures, & latrones in ea. Illic lorhos, & illectamenta varia detinent: Illis heretici & tyranni absterrent. *Vt mundo, Mundus dicitur per antiphrasim. Necessario veniunt scandala, quia mundus in maligno est positus. Ignis non potest non urere.*

2 Si autem manus tua vel pes tuus, &c. Consilium dat scriptura abscindendi pedes & manus, eruendi oculos, &c. Offendiculis occasiones fugienda. Qui amat periculum, peribit in eo. Diuitia laqueus & spina. Philosophus, suis omnibus in mare proiectis, ait: Nisi perisset illa, ego saluus esse non possem. Mundus micipula insipienti. Faciat homo pactum cum oculis suis exemplo Iob 31. Septat aures suas spinis, monente Sapiente. Exhortatio ad doctrinam: Videte ne contemnatis, id est, videte ne cui scandalo sitis. Tam incumbit homini scandalum alijs non inferre, quam scandalum occasiones cauere. Adhibet angelos duces & custodes, Gene. 49. Angelus qui eruit me. Heb. 1. Omnes sunt administratorij spiritus. Tobias exemplo est.

3 Dica enim vobis, quia angeli eorum, &c. Debemus angelis cultum. Consideranda angelorum excellentia. flamma ignis significat gloriam & maiestatem, Hebr. primo. Psalm. 96. Colimus angelos primo hymnis & ecclesie solennitatibus peractis. secundo honestate morum, prima Corin. 11. Mulier debet velari propter reuerentiam angelorum Psalm. 127. In conspectu angelorum psallam tibi. Tertio, obediendo. Hebr. secundo. Si qui per angelos dictus est sermo, &c. Vides hereticos etiam angelorum sese aduersarios designare, festum sanctorum angelorum antiquando. Dein etiam vide ecclesiam medacij & vanitatis insimulare, quod Angelorum festum instituerit. Disputent & dubitent infelices de miraculo, quo huius diei festiuitas est orta. Quis credat vanissimis hominibus, qui tot seculorum tot sanctis fidem adhibere dedignantur?

IN NATALI SANCTORVM APOSTOLORVM SIMONIS & IUDÆ, EPISTO. I. PET. I.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam, &c.

PRAEFATIO.

Eia charissimi, attendite epistolę Petri ad ecclesiam Ponti Galatię, Cappadocię, Asię & Bithynię grauisimum exordium. Quid, per Deum oro, Euāgelium Christi habet, quod in hoc exordio non cōtineatur? Clementiā Dei hic vides adūbrari, hic regenerationis sacramentū vides delineari, resurrectionis & ascensionis gloriā vides hic prædicari. Hic cęli regni hæreditas, hic virtus operatoria Dei, hic fides corda purificans, hic iudiciū extremū, vnicuiq; secundum opera sua retribuēs. Quid hic, oro, desiderari poterit euāgelicę doctrinę & præceptorū? Nemo in hac luce cęcutire poterit, nisi cuius cor sit excecātū, & à spiritu tenebrarū oblesum. Baptismus pœnitentiā, pœnitentia fructus dignos operū bonorum cōplectitur, Spes gratiam & merita, Resurrectio Christi fidem & religiosam vitā: denique iudicij extremi recordatio, timoris nos submonet & pietatis. Eucharistia in baptismo cōtinetur: quia baptismus est omnium sacramentorū porta. Attende excellentia & verē euāgelica omnia. Vides rhetoricām supernaturalē & planē diuinā. Eia fratres, attendite vobis, rhetoricastros & euāgelicastros, iustitiam operum bonorū & charitatis negantes, fugite, attēdentes eos nihil habere spūs Christi, sed reuera spirare Antichristū, non esse apostolos & euāgelistas, sed sēmen ꝑ adulterū, apostolastros euāgelicastros, Vos nunc verum Euāgelium veri apostoli audite: & hoc attentius, quo tempus hoc præfens videtis esse periculosius, & quo epistolę exordium videtis esse augustius.

Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiā suam magnam regeneravit nos in spem vitam. Auspicatur epistolam à benedictione, id est, à confessione, inuocatione, & gratiarum actionis vocabulo, quia omnis nostra sufficientia est ex Deo. Sic canticum suum orditur Zacharias Luc. 1. Sic Apostolus epistolam ad Corinthios inchoat. Catholicum verbū, Benedictio. Execrabiles hæretici & omnes impij, Ecclesiā aspernantes. Ecclesię filiis, hæredibus benedictionis, tandem dicitur *Paternitas dei nominem præcipuum.* Venite benedicti patris mei, Matth. 25. Benedictus, ait, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. Non fuit cōtentus dicere, Deus: nisi etiam *phum.*

adderet, Pater Domini nostri Iesu Christi. Titulū precipuum & gloriosissimū diuinę maiestatis antēde. Eph. 3. paternitatē omnem in Deo esse dicit. Pater in celo, pater in terra. Illic habet filium vnigenitum, in vnigenito eo suo hic multos habet filios. Dilexit nos in dilecto, non dilexit nos in Mose & lege, neque item in merito patriarcharum, sed in vnigenito suo. Dilexit autē nos secundum suam magnam misericordiam. De istac ineffabili Dei erga nos misericordia, habes apud Esaiā 54. 55. Hierem. 31. Luc. 1. Ephe. 2. Origo nostrę redemptionis, summa nostrę salutis, nostra salus & redēptio, nostra iustitia & meritum, nostra victoria & gloria sola Dei misericordia. Hęc regenerat nos in spem viuā. Regenerat, vt sacramentum redemptionis nobis sit efficax & salutare. Nisi enim regeneremur, Christi Iesu meritum ad nos non pertingeret, in nos non redundaret. Regenerati atque illuminati, duntaxat capaces lucis tantę existunt. Prima generatio carnis, carnalis est. carnalia ea saltem sapit. Caro & sanguis non reuelauit tibi, ait Petro Dominus. Petrus itaque hic fatetur & docet, miserationis esse Dei, quōd regeneramur, regenerari verō nos in spem viuam. De regeneratione vides Ioā. tertio. Tit. tertio. Vocat Apostolus fideles hic Anagenemenos, regeneratos puta ex impure scibili & im mortali semine verbi Dei. Verbum æternum est, per quod regeneramur in spem viuam. Nisi enim æternum esset semen regeneratiuū ipsum, spes viuā esse non posset. Spem viuam alibi vocat spem vitę, Tit. 1. Spem glorię, Ro. 8. Spes viuā habet emphasin: quasi dicat spem vitę certam, firmam, indubiam, Hebr. 10.

*Regenera
tionis vir
tus qua.*

Per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatē incorruptibilem & incontaminatā & immarcescibilem, conseruatam in calis. Sine resurrectione Christi, non poterat sacramentum redemptionis & regenerationis ritē tradi. Mors Christi, mortis fuit aculeus, sed diabolus contriuit gloria resurrectionis. Hic se brachio suo saluauit, hic gloriam suam declarauit. Ex hoc saluari brachio & nos etiānum habemus robur. Ascendens enim in altum, & captiuam ducens captiuitatem, dona dedit. De virtute ea rediuiui Christi, vide Philip. 3. Coloss. 2. Per

*Resurre
ctionis vir
tus qua.*

hanc, ait Apostolus hic, contigit nobis hæreditas immortalitatis & immarcescibilitatis, conseruata in cælis. Credentes eam Christi virtutem, participamus illi in hæreditatem æternæ vitæ. Natiuitas carnis, generat hæredes huius terræ bonorum: natiuitas verò spiritualis, regenerat nos ad bona cælestia. Illa sunt caduca, hæc stabilia. Deus ipse nostra merces. Hæredes sumus. ille, periodus ipsa est vnica, ad quem tendimus omnes. Ille, nostra est sufficientia. Sine illo nihil est. Si filij, etiam hæredes, Ro. 8. Dic ergo ad electos: *Lechu Beuiche Abi, Vr fu eth Mamlacha ha muchana lachè marrefish havlã*, hoc est, Venite vos benedicti patris mei, & possidete hæreditatem regni, quod paratū est vobis à cōstitutione mundi, *Hæreditas ea* quia spes vna nō fallit. *quãtia gloria,* saltē restat, vt nos in fide & in obedientia euangelij maneam⁹. Hæreditas futuri seculi pulchrè hic describitur. Hæreditas huius vitæ aestimetur, quàm sit caduca & fallax. Vidit Hieremias omnia esse nihili. Salomon dicit omnia esse vana. Vanitatē itaque hæreditatis, quid facit gloriosum? Preclara hæreditas cælestis regni, de qua dicit Apostolus, Spiritum sanctū esse arrabonem cleronomias, hoc est, pignus hereditatis. O præstantē hereditatem, cuius ipse spiritus sanctus pignus dici & esse vult. Cui nō vilescat putris & cadauerosā hereditas huius seculi? Coloss. 3. dicit hæreditatem futurę vitæ, esse antapodofin, hoc est, retributionem, puta fidei & operū bonorum. Heb. 9. vocat hæreditatem æternā. Hæretici Ioviniani retributionis vocabulum discant intelligere, & cessent maledicere.

Vobis qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore nouissimo. Contextus hic non nihil obscurus. Periodi hoc faciunt & commata breuiuscula, quæ Apostolus ita contexit, vt paucis verbis multa compræhenderet. Sensus clarus est, quem qui tenet, errare non poterit. Tam bonum quod appræhendi debet, quàm ij qui bonum tale appræhendere habent, hic sibi cohærent. Dicit hæreditatem in cælis, esse solidam, imputrescibilem, perpetuam. Atque hæc quidem in superiori periodo. Hic subdit, quib⁹ hæreditas ea sit certa. Vobis, ait, siue erga

Hæreditas cælestis

Hæreditas patriæ, antapodofis est.

Hæreditas patriæ quib⁹ sit certa

Cor. 15. Foras canes & venefici. Neque scortatores, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Scortatores & adulteros iudicabit Dominus. Reddet unicuique secundum fidem suam & opera. Opera eorum sequuntur illos. Hæc omnia declarabit illa dies. Sequitur:

In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio fidei vestre multo preciosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in revelatione Iesu Christi: quem, cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque, non videntes, creditis: credentes autem, exultabitis letitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestre, salutem animarum vestrarum. Haec veteres probarunt doctrinam, obsoleta & sicu obrita iam est. Nescitur hodie quid verbum crucis existat, hoc in quo fides probatur. Multum hodie de fide disputatur: sed qui hic valent, sibi post principia cauent. Dulce bellum inexpertis. Dormitatur hodie. Supino somno Ecclesie capita sunt sopita. Editur, bibitur, luditur, in voluptate & in ocio bonum tempus male disperditur. Sed pij catholici, vos ipsi vobis prospicite. Quisque suae animae satagite. Sectae variae insurgunt. Catholici parochi à parochiis suis propelluntur, regnant perfidi circuncelliones, monastices posthabitores. regnant item sacerdotes sacramenti inficiatores schismatici. Ingruit Machometistarum furor, exciduntur oppida, depopulantur regiones, captivi abducuntur fideles. Superest ergo, vt loca scripturae consolatoria in promptu habeamus: qualis est Matt. 5. Beati estis cum persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. De cruce fidelibus imminente, habes Matt. 10. 24. Ioan. 16. Acto. 12. 13. 1. Thess. 2. 2. Thessal. 1. Apocalypseos ferè per totum. Vera omnia. Non solum in stat pona, sed & praemium. Cauete Antichristos, praemia bonis sua negantes. Nemo vobis palmam eam interuertat. Videte vt vocationem suam quisque certam efficiat. Accedamus, credentes esse Deum, & esse retributorem omnium bonorum. Hac fide accedamus in veritate verbi Dei. Sic fiet, vt mortem huic vitae infelici praeferamus. Obserua Petrum addidisse, *in d'lop'is*, hoc est,

*Martyres
non omnes
vocantur.*

vbi opus fuerit: siue, vt necessum fuerit, intellige Dei permissione. Cæterum sufficit esse confessorem, si Deus non vocauerit ad martyrium. Vterque Christi est apostolus, tam ille cui dicitur, Sequere: quàm ille cui dicitur, Sic eum volo manere, Ioann. 21. Cyprianus duo martyria celebrat, in hæc verba: Non enim semper faciunt Nerones, Domitiani, Decij ac Maximini: nunquam tamen cessat diabolus exercere Christi malitiam professos. Augustinus quoque ad Sebastianum epistola 145. de interna persecutione scribit, dicens: Beata miseria, vitis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærete: dolore contrahi, non amore attrahi. Et statim: Hæc est persecutio, quæ omnibus piè in Christo viventibus est communis: & tanto amarius, quanto interius supplicium atque martyrium hoc existit, teste eodem. Sed ille nos velit sic manere, hoc est, illius sit nos immunes martyrij velle, Nostrum est dicere, Fiat voluntas tua: ad vtrunque illius gratia nos paratos esse oportet. Christianismum rectè non profiteamur, nisi nos ita vitam nostram instituerimus. Vitam nostram & animas nostras perdere & negligere habemus, vt ea in æternum inueniamus & possideamus, Luc. 14. Acto. 20. Fiat voluntas Domini, Acto. 21. De calice Domini vide Matt.

*Solicitudinem ex-
mit à no-
bis scriptura
canonica.*

20. & 26. Sensus itaque verborum Apostoli est: Ne solliciti sitis de salute & de beatitudine: saltem pergite credere, amare & pati: pergite, inquam, & nolite deficere. tempus breue est. labor itidem vt breuis sit oportet. Aeterna verò gaudia & varia meritorum præmia, laborem eum momentaneum manent. Hic tempus est lugendi, illic gaudendi: Hic necessum est hominem probari, illic probatos coronari. Oportet docimion (hoc est, probationem) fidei hic verum & syncerum argui. Fides, cuius periculum non est factum, est similis auro necdùm expurgato. Qui non est tentatus, quid sciat? Crux gloriæ mater. Aliud ad gloriam, præter crucis, iter non est. Ignis purgatorius ille & caminus expiatorius, aurum facit preciosum. Quo purgatius aurum est, hoc etiam est preciosius. Christiano homini hoc igne nihil debet esse vsitatus & celebrius. Nunc quidem latet gloria ea, quæ in cruce est sita, & quæ per crucem

*Probanda
fides, pro-
bata Deo
grata.*

peti debet. Sed dies ille instans iudicij, omnia declarabit. Crucifixus siquidem ipse, in ea apparebit gloriosus. Videbunt enim tunc electi & afflicti, & similes illi erunt, 1. Ioan. 3. Non facit passio huius temporis ad gloriæ eius amplitudinem, Roma. 8. 2. Corint. 4. Ineffabilis & inæstimabilis est læticia & gloria ea, nos in regno cælorum manens 1. Corint. 2. Credimus fide indubia quid quid id est. Sic etiam non dubitamus de metamorphosi ea, que est apud Apostolum 2. Cor. 3. neque item dubitamus de metaschematismo eo nostri corporis, de quo idem agit in Epistola ad Philip. 3. Summa est, nos inno-uationem manere, qua corruptibile incorruptibilitatem induet, mortaleque fiet immortale, & vt summam felicitatis unico complectar verbo, qua similes angelis cæli reddemur, 1. Corin. 15. Matt. 2. 2. Sequitur apud Apostolum: Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Vides fidem finem suum quoque habere, manere verò charitatem, quæ maior est, 1. Corin. 14. Sed vide finem fidei esse beatitudinem ipsam. Afflictio, angustia, periculum, mors, perditio, omnia eusnefcent, Apocalyp. 21. Ioan. 16. Gaudia tunc incipient vera. Gaudia huius vite, sunt plena fraude & discriminum. Hic vt videas finem bonorum item operum esse beatitudinem, confer huc quod est apud alium Apostolum 2. Corint. quinto. Apud vtrunque apostolum vnum verbum est. Apud illum fidei finis, apud hunc facti seu operis præclari. Colliges hinc veram fidem, viuendam puta, esse operosam. Facit huc, quòd etiam in Deo manere alius dicit eum, qui manet in charitate. Faxit Deus, fideles subindè bonis instemus operibus, in charitate manentes, vt ipsam quoque perpetuò in nobis permanensuram habeamus.

Fides finē aliquando est habitus, charitas non item.

IN DIE SANCTO APOSTOLORVM

Simonis & Iudæ, Euangelium Matt. 5. Vide in festiuitate Omnium Sanctorum.

DE sancto Simone & Iuda legitur nonnihil Matt. 13. Vocantur ibidem fratres Domini, quæ admodum etiã Iacobus & Ioses. Atqui fraternitas istæ non est ex Maria virgine, sed ex p̄generatione fratris germani Iosephi, Cleophæ: qui & ipse vxorem habuit

nomine Mariam, ex qua liberos quatuor suscepit, Matthæi. 13. hos nimirum duos, & Iacobum qui minor vocatur, & Ioseph cognomento Iustum. Vocantur verò fratres Iesu, ratione necessitudinis; quia consobrini erant & item amitini. Quod dictum volo contra Anabaptistas Heluidianos nostrates. Simon hic, etiam dicitur Simeon: tantæ erat apud Apostolos æstimationis, ut eum fratri suo Iacobo sufficerent, & secundum Episcopum Hierosolymitanæ constituerent ecclesiæ. Cognomine Cananæus vocatur, vel à Cana Galilææ, vel (quod magis probo) zeli magni gloriæ Christi ratione. Nam *Cana* Hebraicum, idem est quod Græcicum zelotes, Matt. 10. Acto. 1. Qui Simeonem eum pro Simone vocant, *Mem* & *Sena* Hebraicos articulos confundunt. Verum tamen nomen vtrunque fit. Iehuda siue Iudas, vocatur apud Lucam Iudas Iacobi, puta frater, Acto. 1. & 6. Item Lebæus atque Thaddæus. De Iosepho, qui & Ioses dicitur Matth. 13. legis Acto. 1. Egesippus & alij historici commemorant, Apostolos Simonem & Iudam, multa à Domitiano Augusto perpeffos, hac præcipuè causa, quòd Davidici stemmatis germen referrent. Vnde aiunt, eos unà cum nepotibus suis, maioribus tyrannorum invidentiis fuisse obnoxios, præ reliquis apostolis. Benedictus Deus veritatis, cuius virtute tyrannos eos pessundatos, Christi trophæum statuerunt. Huic laus sit & gloria perennis. Amen.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM, epistolæ lectio Apocalyp. 7.

Ecce ego Ioannes vidi alterum angelum, ascendentem ab ortu solis,

P R A E F A T I O.

Lectio præsens declarat, Spiritum Dei potentiorẽ esse spiritu huius seculi. Diabolus, quæ eius est invidentia, electis semper se obicem ponit, sed Dominus Deus custos Israel, bestiam eam iram suam totam evomere non sinit. Permittit illi pater cælestis aliquid, ut probetur electi. non tamen permittit tantum, quantum possit ille nocere. Spiritus ille magnus tametsi gratiæ exciderit, vires tamen & naturam angelicam non amisit. Poterit ergo supra fidem nocere angelica ea virtute, si per-

*Spiritus
Dei potentior
spiritu
huius
mundi.*

mitteretur. Leo est, Draco est, Behemoth & Leuiathan est, viribus humanis maior est. Filius verò hominis, leo de tribu Iuda, tāquam homo Leuiathanem eum extrahit. Spiritum is suum nobis conferens, etiam nos Behemotho facit esse potentiores. Accedit quòd & verbum eius, gladius est vtrinq̄e acutus, cui etiam non preualet belua ea infernalis. Eius rei præsens lectio nos submonet. Satanus sperabat etiam ipsum Iordanem se absorbere posse, sed etiam spe sua frustratus, electis nihil nocere potuit. Nō abludit quòd Helias audiuit septem millia sibi Dominum reseruasse à Bahalis cultu liberos. Multos & maiorem mortalium partem detinet captiuos ad suam voluntatem, vt Apostolus ait. Sed signatos tangere non potest. Gaudium est misero, socium habere in pœna: quanquam non minus ardeat, qui cum pluribus ardet. Spiritus sanctus potentior est, potentes & liberos nos facit omnes: ea libertate & potentia si bene vti vulerimus, bestia ea nobis erit musca, sed negligentibus & acediosis leo est & draco. Quam rem egregiè vides declarari in lib. Iob. Exemplum etiam habemus in præfenti lectione, ipsam nunc tandem exponere Dei gratia adgrediamur.

Ecce ego Ioannes vidi alterum angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui. Supra dixit, se vidisse quatuor angelos in quatuor mundi partibus, stare ad reprimendos quatuor ventos, ne porò spirarent neque in terram, neque in mare, neque in arbores. Quatuor hisce malignis vidit vnum resistere angelum bonum atque præualeri. Quatuor hi pestilentes, infernalem potestatem designant, siue eam in hominibus, siue per se ipsum operetur satanas. Solet ille, quòd adire per se nequit, suos mittere ministros, hæreticos & tyrannos. sed gratia Dei præsens est antidotum aduersus hæc viperas. Quatuor dicuntur esse angeli nocui illi, propter quatuor fines orbis terrarum: Orientem puta, Occidentem, meridiem & septentrionem. Habent quatuor hæc mundi partes suos ventos: Oriens eurus, Occidens zephyrum, meridies austrum, & septentrio boream. flatus horum est, quodammodo vita mundi. Nisi enim spirarent hi, cessaret generare natura. Neque enim profer

*Satanus
hæreticos
et tyrannos
quòd per se
pertingere
nequit,
mittit.*

ret terra fruges, legumina & fructus, mare pisces non produceret, neque aër volatilia ferret. Mortales quoque ea calamitate non perire non possent. Non spirare ventos, non minùs est perniciosum, quàm non plueret, non illucescere, &c. Hoc ipsum textus ipse declarat. sic enim habet: Nolite nocere &c. Datum erat malignis, nocere. sed bonis ait, Nolite nocere neque terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei in frontibus suis. Per quatuor ventos, intellige omnia breuiter quæ ad vsum pertinent humanum. Mysticè verò ventus, qui & ipse aura est & spiritus, significat spiritum sanctum, qui per quatuor euangelistas vniuersum viuificat mundum. Per hos etiam accipiunt S. doctores* columnæ spirituum, quo euangelistarum collegæ spirent & ipsi sensum communem ad recreationem & viuificationem totius ecclesiæ. Nam quemadmodum quatuor venti principales, suos quoque habent collaterales, sic etiam euangelistas suos collegas voluit habere spiritus sanctus. Vide quid hæresis molitur, vide quid diaboli inuidia tenter. Sanctorum pontificum eorum, qui sensum nobis communem ecclesiæ, verum puta euangelion, tradunt, abolere velle: quid hoc aliud est, quàm spiritum sanctum auferre? Sed nihil efficient, fiet tandèm manifesta eorum vesania. Dominus Deus ecclesiam spiritu eo euangelico, hoc est, sensu communi nunquàm destituet, idque propter electos. Plantatio à patre cælesti plantata, manebit. Spiritum sanctum atque aded professionem catholicam, posse non iniuria vento conferri, liquescit, Gen. 1. Ioan. 3. Acto. 2. Vnus spiritus est, Ephes. 4. dicitur tamen hic quaternus, propter opus hoc suum, quo quatuor fines terræ doctrina euangelica replet. Sic etiam dicitur spiritus septenarius propter septenarium numerum plenitudinis gratiæ. Septenarium illum hæretici non norunt esse vitalem. vndè vituperant: signum manifestum, quòd bis sunt mortui, vt ait Iacobus & Iudas. Philosophi quatuor ventos ponunt principales, quod fortè ex Homero habent, de qua re vide Gellium. Scriptura quoque canonica quatuor enumerat, Daniel. 7. Zachar. secundo & 6. Matt. decimotertio, &c. iam ad

Veti quatuor, in lo. Apoca. quid significent literaliter & mysticè. for. communem.*

Catholicos scriptores hæretici scribares suppressere nituntur.

Spiritus sanctus & doctrina catholica, vento viuificati conferuntur.

anemocratores (hoc est, ventipotentes, vt ita dicam, Germanicè vwindmechtigen) quatuor veniamus. Ventipotentes hæretici cum ventis luctantur, decertant ventis Iudæi, pugnant ventis Turcæ, decernunt pseudocatholici. Potens diabolus, permittitur illi aliquid pro nostra culpa. Sed euangelion Christi sensus communis, doctrinæ catholicæ commissum, non membranæ & papyro, neque scriptum atramento & calamo fragili, sed in corda & animas fidelium, quæ maiori parte iam triumphant in celo, minima parte adhuc degunt in hoc mundo, tale euangelion commendauit Deus pater digito suo, hoc est, spiritus sancto, & merito sanguinis Christi, non cruore vel sepis, vel alterius bestię immudę. Quę malum, ergo mortalium audacia, qui euangelico prætextu, euangelium verum audent impugnare? Ex se etiam priscos sanctos patres æstimant. Superbi, iritati, & affectibus deprauatis scribunt & clamitant: putant ergo, & sanctos patres ex humano consilio scripsisse. Quod si ita esset, quis non crederet hominem homini præualere posse? Sed Dominus Deus merito Christi sanguinis, non solum apostolos & euangelistas ecclesiæ suæ dedit, sed & prophetas, hoc est, scripturę canonicę interpretes, doctores quę ecclesiæ suæ æterna prouidentia excitauit atque vocauit. Misit ventos è thesauris suis, Psal. 134. Hier. 10. Ventis ergo huiusmodi diuinæ vocationis, non poterit resistere spiritus infernalis cum omnibus suis ministris, schismaticis, hæreticis, tyrannis, Iudæis, Turcis, & Pseudochristianis, Prouerb. 27. Tentationis suę exorsa annis ab hinc 1500. vsque in hunc diem nequidquam luffit, haudquaquam ergo hodiè aliquid efficiet. Lucta ea olim dicebatur Theomachia Neroniana, vt apud Eusebium est videre. Culices & muscæ citius aquilas & gryphos deuorauerint, quam gigantes hi, quantiquanti sunt, Veritatem catholicam è medio auferant. Sed hostibus hisce veritatis Dei eadem tandem continget gloria, quæ etiam contigit Psyllis in Aphrica, quos Poetæ fingunt bellum contra Austrum ventum mouisse. Pneumatochos eos vocare poteris. Sed nil mortalibus arduum est. Iapeti genus audax omnia audet. Dicunt sibi impij:

*Euangelii
Christi
sensus
cui
libro
sit
creditum.*

*Hæretici
nequid-
quam ca-
tholicorum
patrum spi-
ritum
la-
ctantur.*

Audendum est aliquid Gyaris & carcere dignum:

Audentes fortuna iuuat, &c.

*Angelus
vnuus, va-
riis heresi-
bus silen-
tium im-
ponit.*

Sed ecce tibi, alius quidam bonus angelus mittitur, habens secum sigillum Dei, cui non possunt resistere quatuor atque adeo vniuersi illi maligni. Vnus ille quis alius esse possit, nisi vnus Deus, vnus Dei spiritus, vnica veritas catholica, ecclesie vnus consensus & sensus? Hic est virtus & potestas Dei presens, cui periculosum est calcitrare & arietare. Ab ortu solis angelus ille venit. Oriens noster Christus, qui veritas est, qui lumen a profecto, hoc est, inaccessum (vt apud Apostolum 1. Timot. 6. est) habitat. Immo qui in sinu Dei requiescit, Ioan. 1. Christus, inquam, ille sol iustitie, Malac. 4. os fuit sanctorum patrum, qui per Christi spiritum docuerunt. Dei omnipotentis instrumenta, Christi cooperarij, librum viuentem scripserunt in animas immortales. Ob signatus est liber ille. Sigillum aderat, atque etiamnum adest angelo illi vnico. eradi non potest. Manet professio, manent sacramenta, manet ritus & ordo administrandorum sacramentorum, manet ecclesie disciplina, manet denique ipsa prisca ecclesie gubernatio, maiestas regalis, & solennitas omnis: quia signata sunt omnia. Oleum & operam perdunt angeli quatuor Tænarj. Typus eius loci, est conseruatio consignatorum in Aegypto, Exod. duodecimo. Angelus percutit quidem primogenita, sed non domus signatæ, hoc est, Ecclesie filios, ipsamque Ecclesiam. Atque hæc hætenus: nunc etiam sequentia videamus:

Et clamauit voce magna quatuor angeli, quibus datum est nocere terra & mari, dicens: Nolite nocere terra & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Angeli lucis hic videmus munus. Primo clamat atque imperat, dein consignat. Vtrinque bonus, vtrinque commodus & salutaris. graues & exitiales (quos Noxas & Furias appellare possumus) durè increpat & cohibet primo, postea statim ad electos se conuertit, atque symbolo Dei gratiæ eos signat, hoc est, characterem Dei illis imprimi, quo tanquam antidoto, ab hosti illi nequitia securi esse possint. Potestas quatuor cæcoangelorum, non solum erat eorum arbitrij & voluntatis, sed & per-

missionis Dei. Voluntati malorum frena Deus remittit ad exercendum suos. Vbi volet, iterum compescere poterit. Verbo, dare pro permittere, vtitur scriptura frequenter, præcipuè vero Act. 2. Psal. 15. Obserua de voce angeli magna. Magnus Dominus & laudabilis nimis, parua voce vti non potest. Magna vox, est potens vox, quia magnus Dominus, omnipotens Dominus. Magna vox itaque est, Nolite nocere terræ, mari & arboribus, hoc est, spiritui sancto nolite resistere, sensui communi, qui verum est euangelion, nolite obstare. Spiramini spiritus sancti nolite obsistere: Permittite opus Domini saluum, Dominus Deus vult amentiam vestram fieri euidentiore. Vult Deus pater veritatem catholicam manifestaram & ratam. Vult omnes (puta electos, quibus manna ꝛ ea sapit) saluari, 1. Tim. 2. Præcipit hoc Dominus, Marc. 16. dicens: Ite in vniuersum orbem, & prædicite euangelium. Regnum celorum propè est, Matth. 3. Hæc est voluntas Domini, ait Dominus Zebaoth, Isa. 46. Et in præsentī lectione colligere possumus, qui boni angeli existant, qui ve mali. Hi incommodant Ecclesiæ, illi commodant: Hi dispergunt & faciunt sectas, illi vnitatem doctrinæ catholicæ protegunt. Sic etiam filij boni, sunt acacij, hoc est, nemini nocentes, etiam si hoc facere possint. Clamitant boni, Spiritum nolite extinguere, prophetias certas & receptas nolite in dubium vocare, ecclesiam audite, Maiestatem ecclesiæ nolite obnubilare, Solennitates ecclesiæ nolite intercipere, atque per hoc cursum euangelij nolite remorari, Romanorum nono, 2. Timothæi capite secundo, 1. Thessalonic. 5. 2. Thessalo. 3. Terra, mare & arbores, significant omnia, quæ sunt sub cælo. Omnia quibus humana vita opus habet, in tribus potissimum consistunt. Arbores vestrum præbent & quietis illecebilitatem: Fronde super viridi, ait,

Tu tamen hæc mecum poteris requiescere nocte.

Item, Seres lanam ex arboribus suam colligunt.

Terra fruges & legumina, butyrum ac lac profert. Mare, potum sufficit. Sed quoad usquè parcere coguntur mali angeli: Semper. Tale damnus non licet diabolo nunc

porro mundo inferre, quale olim intulit, Christo nec-

*Dare pro
permittere*

*Angelo-
rum bono-
rum &
malorum
discretio.*

*Angeli
maligni*

*nihil quod
ecclesiæ est,
possunt a-
bolere.*

dum nato, Act. 18. Sensum communem, maiestatemque ecclesiæ non obstruet diaboli inuidia. Signata enim omnia spiritus sancti opera. Sigillum hoc virtutis excelsi, quod in die Pentecostes incepit, in finem mundi permanebit. Dominus ipse, in ecclesia sua est usque in finem mundi, Mar. 28. Spiritum suum ecclesiæ pollicitus est paracletum. Spiritum sanctum suum non auferet à suis, Psa. 50. Summa: Portæ inferorum non præualebunt ecclesiæ. Dicit item Angelus, donec consignemus, in plurali. Sed quare in plurali dicit, nos, cum nisi angelus Ioanni sit visus vnus? Vnitas primo ecclesiæ exprimitur, deinde etiam angelicum officium adumbratur. Vnus spiritus omnia operatur in omnibus, sed arma atque instrumenta varia suæ requirit gratiæ. Typus eius est, quod de spiritu Moysi, septuaginta electis viris dedit Dominus. Nauicula Petri, Zebedæanorum filiorum nauiculæ opus habet opera. ~~Non vni sed vniuersis dedit.~~

Obsignatio certa est, non ea quæ verbis fit, sed factis operis boni. Dicit enim non signatis: Ite in ignem æternum. Nudus fui, & me contexistis: vagus, & me non collegistis. Nisi euangelion factis expresserimus, parum nobis proderit, Matth. 5. 6. 7. 25. Heb. 6. 10. Facit ad hoc, quod characterem Dei frontibus nostris vult inscribi. Frons habet significationem professionis oris, hoc est, lucis operum bonorum, ex quibus glorificatur pater cælestis, Marc. 6. Luc. 12. Matth. 5. Hic altius repetendum, quod dixit, Seruos Dei. Non dixit, Donec consignemus ostentatores & iactantes se de fide hæreticos, nec confidentes suis ipsorum meritis, sed seruos Dei, hoc est, operarios sedulos & pavidos. Hoc loco etiam firmatur confirmatio sacramentalis: eam euangelici noui nostrates dicunt esse characterem Antichristi. Spiritus planè sunt fratres euangelici, nihil externi ferunt. Incipiunt à consecratione olei, propediem etiam ad aquæ, panis & vini consecrationem venturi. Sed quid venturos dico, & non lugeo venisse? Transsubstantiatio negatur, baptismi solennitas antiquatur: vides itaque etiam consecrationem aquæ, panis & vini, fraudem perpeti. Perpetitur autem ab euangelicis fratribus, qui planè sunt spiritus: vnde externas benedictiones peius execra-

*Confirma-
tionis sa-
cramentum
fundatur.*

tionem auerſantur. Non vident miſeri, Deum per huiusmodi externa præſentem operari. Conſignationis præſentis typum vides Ezech. 9. Legis ibi, Deum viro vni dixiſſe: Vade per medium ciuitatis ſanctæ, & conſigna eos qui lugent ſtatum ſynagogæ peruerſitatem. Signum hoc Thau, exprimit diſcretionem bonorum & malorum. Signati ſunt, quibus tam ab uſu non ſunt cordi, quam hæreſibus offenduntur. Non ſignati ſunt, contemptores & irriſores, characterem beſtiæ referentes, hypocritæ & hæretici. Paſtor quiſque ſuos greges conſignauit. Chriſti ſignum eſt luſtus & diſciplinæ. Beati qui lugent, Veſtra triſtitia conuerteretur in gaudium, Matth. 5. Ioann. 16. Antichriſti ſignum, eſt præfractionis, inſolentiæ & vanitatis. Hebr. 11. vides eius ſigni declarationem exemplarem. Cuius etiam in ſequenti periodo expreſſum vides documentum. Ad ſequentia ergo abeamus.

*Signum hoc
thau diſ-
cernit bo-
nos à ma-
lis.*

Et ego Ioannes audiui numerum ſignatorum: Centum quadraginta quatuor milli a ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael.

Hic Ioannes loquitur, quemadmodum & angelum magnum locutum iam recensuit. Teſtatur ſe audiſſe, quemadmodum paulo ante ſe vidifſe commemorat. Fatetur ſe primo vidifſe quatuor angelos peſtiferos & malignos. Poſteà, dicit ſe audiſſe clamorem angeli boni, dicentis: Nolite nocere, &c. Hic dicit ſe auribus hauifſe numerum ſignatorum. Non vult Deus perire cum malis etiam bonos, qui etiam malis plerumque parcat propter bonos: quod ita præclare vides in parabola zizaniorum, Matth. 13. Typum huius conſignationis, per quam pii ab interitu fontium præſeruantur, habes Exod. 12. & Ezechie. 9. Auditionem eam ſignatorum, Ioannes memoriæ tradidit in conſolationem electorum. Alioqui etiam deſperabundi, diabolo reſiſtere cunctarentur, arbitantes ipſum etiam Iordanem abſorbiturum. Horrendum vero dictum eſt & hoc, quod numerus electorum colatus multitudini reprobatorum, perquam eſt paruulus. Quota enim pars eſt numerus centum quadraginta-quatuor millium, ad numerum populi vniuerſi, toties in libris Numerorum & in chronicis Regum reſenſit? Vides adimpletum oraculum Eſaiæ, dicentis: Etiam

*Bonos cum
malis Deus
perire non
vult.*

*Numerus
Iudaeorum
ſignatorum
per ſe qui-
dem ma-
gnus eſt:
ſed colla-
tus nume-
ro reproba-
rum, par-
uulus eſt.*

si numerus populi Israel fuerit tãquam arena maris, saltem tamen reliquix *el El gibbor*, hoc est, ad Deum fortẽ, conuertentur. Esa. 10. Cõuerti hoc, Apostolus interpretatur saluari, Rom. 9. Huc pertinent parabolę de inuitatis & vocatis pluribus, & de electis paucis, Lu. 14. Mat. 20. 22. Parabolę iam citatę, videntur Iudęos planę omnes à regno cęlorum sęcludere. ad eò paruus est numerus electorum, collatus copię & vi reiectorũ. Cæterũ per se optimus est & maximus. Certũ enim est, multos Iudęos cõuersos ad Dominum per prædicationem pœnitentię Ioannis Baptiste, Matt. 3. Lu. 3. Et parabola vineę etiam ex Iudęis operarios habet, Matt. 20. In propatulo item est, multos Christi doctrinã recepisse. Denique item Acto. 2. 3. 4. 5. videmus identidem turmatim Iudęos ad fidẽ Christi aduoluisse, idque tanta frequentia, vt in die Pentecostes baptizati tria millia cõmementur. Fidelium eorum qui ex Israel ad Christum peruenerunt, apostolus præcipuẽ fuit Petrus, quemadmodum & gẽtium apostolus dicit Paulus, Gal. 2. Sed (quod supra dixi) collati pœnitentes & fideles cum præfactis & impœnitentibus, pauci videbuntur, iuxta Esaiam dicentem: *Sear la sab, Sear Iacob el El Gibbor*, hoc est, Reliquiã conuertentur, reliquię, inquam, Iacob ad Deum fortem. Paucitatem eam Euangeliũ quoque ipsum non celat Matt. 7. 22. Luc. 13. Dein & Iudęorũ numerus paruulus est, collatus ethaicorum tot myrmecijs & chilibus, Deute. 7. Ioannes hic saltem vult exprimere, etiã quosdam Israelitarum esse vocatos, iustificatos & electos, Roma. 8. Non potuit Israel planẽ abijci, qui Rom. 2. & 3. præcipuis fidei prærogatiuis decoratur. Sed neque adhuc sunt omnino reiecti, Roma. 11. Et hoc loco, primò, tanquam præcipuẽ dignitatis recensentur. Recensionem ipsam audiamus. Sequitur textus:

Ex tribu Iuda, xij. millia signati.

Ex tribu Ruben, xij. millia signati.

Ex tribu Gad, xij. millia signati.

Ex tribu Aser, xij. millia signati.

Ex tribu Neptalim, xij. millia signati.

Ex tribu Manasse, xij. millia signati.

Ex tribu Simzon, xij. millia signati.

Ex tribu Levi, xij. millia signati.

Ex tribu Isachar, xij. millia signati.

Ex tribu Zabulon, xij. millia signati.

Ex tribu Ioseph, xij. millia signati.

Ex tribu Benjamin, xij. millia signati.

Explicat & resoluit hic numerum centum quadraginta quatuor millium. Refert ecclesiam scire, etiam ex Israele multos esse signatos, id est, electos. Quod nisi sciat, quis se saluandum iri sperauerit? Nobiles præ cæteris fuerunt duæ tribus, Iuda & Benjamin, vnde etiam animo præsentis Ioannes catalogum atque nomenclaturam filiorum Israel per nomina ea exordiri & claudere maluit. Non tamen aliæ tribus gratiæ Dei vacuæ erant & extorres. Dan & Ephraim non recensentur: sed eorum locum occupant duæ tribus, Ioseph & Manassæ, & sic completur duodenarius. Dan præterit (vt Theologis placet) evangelista, quòd ex ea tribu nasciturum præuidit Antichristum, vnde & *Nahas* & *Sephiphon*, hoc est, coluber & vipera dicitur Gene. 49. Ephraim dicunt omissum propter Hieroboam, qui ex ea tribu erat ortus, idololatriæ Israelis duorum vitulorum in Dan & Behel author, 3. Reg. 12. pro Dan & Ephraim, ponitur Manassæ, frater Ephraim, nepos Iacobi ex filio Ioseph, Genes. 48. Ruben tamen nomenclaturæ caput occupet. Gene. 49. tamen hic illi Iuda præfertur, propter gloriam Christi Iesu, qui de tribu Iuda fuit, Matth. 1. Lucæ 1. 2. Vnde etiam noster Soter dicitur leo de tribu Iuda. David eius stemmatis quoque germen fuit non obscurum, Roma. primo. Nomina enumerata, sunt filiorum Iacobi, ex quatuor vxoribus susceptorum. Nobile stemma, quod tanta diligentia toties recensetur in scriptura canonica. Mirum, tam populosam gentem tot tribuum, suam potuisse originem reseruasse. Citra singularem spiritus sancti gratiam, & circa præcipuam gentis eius curam & diligentiam, series ea succedentium sibi patrum & neporum, non est obseruata. Obseruata verò est ob certum & profundum mysterium. Christi incarnatio talem diligentiam requisit. Digna itaque tanta obseruatione. Tanta atque talis gloria filiis Iacobi atque adeò vniuerso Israeli contigit citra omne meritum, sal-

Israelis quoque bonam partem esse saluatam scire referre.

Tribus Dan & Ephraim non recensentur à Ioanne.

Nobile stemma filiorum Iacob citra mysterium non est tanta diligentia obseruatum.

tem electionis gratia. Electi verò merito Christi. Dixit tribus eas in dilecto, etiam ante mundi constitutionem, Ephes. primo. Citra omne meritum gratiam eam populo Israelitico contigisse, vides præclare in Epistola ad Romanos & Galatas. Neque item eorum meritum obtinuit, vt hic consignarentur: sed consignari eos voluit Deus, vt fidem suam declararet, Lucæ primo. Roma. decimoquinto. Vides ergo & mera nobis gratia datum, Christo adnumerari: quippe qui ex lapidibus filij Abrahæ sumus effecti. Spiritualis fumus Israel, filij promissionis, Roma. secundo, nono. Fides Christi facit nos Abrahæ filios, Roma. quarto. Exemplum imitationis, religionis, obedientiæ & charitatis designat nos esse semen iustum, Ioan. 8. semen Iudæi hic fideles gentibus præferuntur, quia priores fuerunt in Christi corpore. Certis item rationibus in ecclesia illis primas deferimus. Ro. 2. Iudæo primùm, ait, &c. Ceterum quantum ad merita legis, nihil illis tribuimus. Immo hic dicimus, minimùm in regno cælorum, esse maximùm illorùm.

*Iudæis cre
dētib⁹ qua
tenus eccle
sia primas
deferat.*

Post hæc vidē turbans magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis, stantes ante thronum & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.

*Gentium
vocatarū
numerus
infinitus.*

De electione hætenus egit fidelium ex Iuda, nunc porro etiam agit de electis ex gentibus, quorum infinitum dicit esse numerum. Videmus itaque Dei misericordiam esse infinitam. qui miseretur cui vult, Deum se declarat omnium, Roman. tertio. Munificentiam suam in filij nuptiis declarat. Tempus gratiæ sic debuit adumbrari. Quod si pharisaicus oculus hic nequam fuerit, non tamen Deus iniustus dici poterit, qui in omnibus suam offert misericordiam, nulli facit iniuriam. Adhuc alias oues habeo, ait pastor bonus: eas quoque adducam, & fiet vnum ouile pastoris vnus. Paronomasiam pulchrã habet veritas Græca, ποιμν & ποιμν quasi dicat, pecuaria actio & pecuarius, cura pastorica & pastor, Eio schefferrey in cin scheffer. Ioann. 10. Ex duobus gregibus vnũ fieri voluit vnus pastor, hoc est, voluit vt ex duobus gregibus fieret vna, Eph. 2. Statim ergo natus, Orien

tales reges sibi conciuuit, Matthæi secundo. Idem etiam Romanorum non repulit præfides, Matth. 8. Acto. 10. Cananæos itidem recepit, Mat. 15. Pastoris quoque vox est: Amen dico vobis, quòd multi veniét ab Oriente & Occidente, & discumbét cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum, Matt. 8. Lucas addit, à meridie & septentrione, cap. 13. Libri Actuum Apostolorum sextum caput statim agit de vocatione gentium, & in eo statu ferè pergit vsque ad finem libri. Ioannes hic populum eum innumerabilem ex ethnicis ad Christum còuersum, e characterem salutare quidem accepisse non exprimit: sed quoniam degnatis ait, certè & eos signatos inuit. Spiritus sanctus arrhabo est: baptisumus, Eucharistia, confirmatio, & alia ecclesiæ sacraméta, eius arrhabonis sunt symbola. Quis ergo dubitat, etiam populum eum innumerabilem esse consignatum? Et præcedentia hoc dilucidant, nisi enim consignati essent, angeli maligni illis manus intulissent atq; deuorassent. Et nobis nulla alia gloria est reliqui, nisi signaculú sanctú. Heretici Carolstadiani dicunt, esse supstitutioné se sancto signaculo crucis còsignare. Viderint miseri & infelices, cui persuasionem eam referant acceptam: ecclesiæ catholicæ, an potius singulari ferè, quæ hodie vineam Domini infandú pergit deuastare. Ecclesia catholica omnium nationum, sacramenta omnia signa signo sanctæ Crucis & conficit & administrat. Noui apostolastri planè spirituales, externa omnia reiciunt, nouásque ordinantias condunt, Carolstadianis & omnibus aliis delirandi ansam porrigendo. Putant miseri ecclesiam se catholicam, quam reuera auersantur fugitiui & desertores. Apostolus hic ecclesiam vniuersalem omnium nationum & linguarú, Christi esse testatur. Infani Saxones, zytho temulenti, sibi gloriam eam vniuersalem vendicant. Regio adeò nobilis nõ est, vt ingeniis & polliticis virtutibus alias mundi nationes excellat. Nec item lingua Saxonica artium liberalium & philosophiæ adeò fœcunda mater est, vt in illa tanquam in optima & nobilissima, omnes aliæ possint figuratè intelligi. Omnes linguæ, dicit Apostolus. Nescias linguæ nomen mereatur, quæ barbaricè linguæ Germanorum postrema est:

Gentes ad fidem Christi vocatæ etiam sunt. signatæ.

Heretici signaculú sanctæ crucis, superstitiosam acrius verberationem esse dicunt.

Ecclesia omnium nationum & linguarum Saxones soli esse non possunt.

huic elinguis, surdus & mutus omnium linguarum gloriam deferat: apud exhalatores zythi ecclesiam cōcludat infans. Nos ecclesiam magnam non in vnico, & eo frigido orbis angulo, vbi nihil nisi crapula, atque adeo libido & cætera hoc genus vitia regnant, queremus. Nos ecclesiã catholicam, non apud vnicam nationuculam lingue inexpeditę, inuestigabimus, sed Gręcos iuxta atque Latinos scriptores, eos qui à tempore Apostolorum in hunc vsque diem floruerunt, & omniũ meritorum laudem obtinent, perscrutabimur. Nec puto nos erraturos, si tot chiliades siue myriades sanctorũ triumphantium, vni porco Sardanapalico prętulerimus. Neque enim Ioannes hic zythi nobis edormitorem commendat, sed infinitam vim beatorum & eorundem confignatorum. Sic etiam typus habet ecclesię: Respice, ait Dominus Abrahę, stellas cęli, *Cob ij heie Zareca*, hoc est, Sic erit semen tuum. Abrahę fides & obediętia arguat, non Sardanapali alicuius leuitas & temulentia, Gen. 15. & 22. Ro. 4. Gal 3. Iaco. 2. Talis ecclesię numerus arenã superat maris, Rom. 4. P̄sal. 138. Postula à me, ait, & dabo tibi gentes hæreditatem, P̄sal. 2. Non ait: Obsecra, & dabo tibi gentem. Infinitam eam multitudinem confignatorum, vidit Ioannes in vestimētis albis triumphantibus, sed non triumphantes, quod pontifices sanctos & omnes pię viuere instantes, fidem per charitatem operantem iustificare docentes, & hoc genus fidelium, nullis non conuiciis prosciderint, quod libellis calumniatoris & picturis propudiosis viros ecclesiasticos infandum notando, totum mundum opleuerint: sed quod omnia sua temporalia bona amore Christi reliquerint, quod corpora sua in varia supplicia tradiderint, atque adeo crucem Christi portauerint, Lucę 14. Hic est euangelicus candor, euangelicaster Nigelle, magistelle noue. Candida vestis innocentiam significat, non Ciceronianam facundiam, Candorem cum nobis Dominus cōmendat, Matt. 5. Conuersatio sancta ecclesiastica, vestis isthęc est candida, infra Apoca. 16. De cruce paulo inferius ait: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, non quam aliis intulerunt, sed quam ab aliis illatam sibi, gaudentes sustulerunt. Capite tertio. dicitur illis, qui vestes

*Beati in
candidis ve
stimentis
triumphat.*

vestes suas non contaminauerunt cum mulieribus. Quod facit contra spurcos lenones, apostolos Priapeos & Venereos, bigamiam & polygamiam statuentes. Non ad hoc lauit nos Christus suo sanguine, qui vult vt etiam vxorem & liberos sui amore relinquamus. Qualis Christi sanguis sit, vel ex eius vita & doctrina æstima, candor nimirum & lux. Verbum siquidem est lux & vita hominum, Ioan. 1. Huc facit, quod & sedens in throno, vestitus sit * noegæo, hoc est, veste alba. Agnus sine macula, rectè designatur in veste candida. Quare verò hoc? Nonnè propter nos, vt simplicitatem columbinam & ouinam nobis commendari videamus? Hæc est, victoria, qua in patientia possident animas suas beati. Coronati itaque, palmas triumphales in manibus suis ferunt. Nec inulti mortui sunt. Dominus vindex præsens est & potens. Infrà 19. Athletæ fortes martyres Christi constantes in cælo ante agnum stantes, quid aliud sunt, nisi gloria Agni? Quare nomen eorum celebre est in terra? quare reliquias eorum exosculamur? quare natales eorum celebramus? Nonne propter ministerium Christi? Nonne in gloriam Christi? Gloriam sanctorum redundare in gloriam sancti sanctorum, ea quæ sequuntur, declarant, ea ergò videamus. Salus Deo nostro, hoc est, omnis nostra salus adscribenda est Deo. Domini est salus, Psal. 3. Contrà Psal. 59. Vana salus hominis.

Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen, Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro.

Quis non videat, mortalium esse, colere semper & magnificare Deum, cum hoc etiam angeli faciant Matt. 18. Hebr. 1. & 4. &c? Sed & in sanctis Deum laudari, vel hoc loco liquefcit. Hoc loco, inquam, præclarè vides, gloriam beatorum redundare in gloriam Dei! Et quid sancti aliud quærunt, quàm gloriam Dei? Vides quàm dormitarit Vigilantius, cultum decentem sanctorum, qui in ecclesia receptus est, carpens. Clamauerunt magna voce sancti. Salus Deo nostro, qui sedet super thro-

Sedens in throno, in veste candida est vestitus.

Beati sunt gloria agni occisi.

Gloria Dei venit gloria diuorum.

POSTIL. VVICEL. SVP. EVANG.

num, & Agno. Salutem & omnem gloriam suam acceptam retulerunt Agno. Dicat Vigilantianus, vbi gloria Dei præsentius illucescat, quàm in amicis & martyribus Dei? Verum est quod Chrysostomus ait, Cælum esse posterius conditum animam & corpus humanum, in quo gloria Dei splendidius multo irradiet, quàm in elementi creatura illa, quæ supra nos est. Quis non os & cor in laudem Dei aperiat? quis non in Dei gloriam penitus rapiatur, audiens, legens, atque oculis animæ videns vigintiquatuor seniores in thronis quoque suis, circum agnum sedentes, candida, agnelli nimirum, veste redimitos, aureis coronis regium decus præ se ferentes? Et quis tam vesanus esse possit, qui gloriam eam non videat esse Agni, cum ipsi omnem gloriam Agno referant acceptam, proni ante Agnum procidendo, coronas suas Agni pedibus prosternendo, & incessanter canendo: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui erat, qui est, & qui venturus est, &c. Tantum habet hæc facies gloriæ Dei energiæ, vt permoueat exercitus cælestes ad gloriam gratiæ Dei prædicandam. Visi tantis magnaliis Dei, visi tantis sacramentis gloriæ Dei, sese Agno prostrauerunt, vnà cum sanctis Deum laudando atque dicendo: Benedictio & claritas & sapientia &c. Felices oculos Ioannis, qui hæc omnia viderunt. Omnes sancti Dei intercedant pro nobis supplices Domino Deo, vt per meritum Agni, oculos quoque nostros ad tanta magnalia sua videnda, aperire dignetur, ad suam solius gloriam. Visio isthæc, præsentissimum est frenum gloriæ gratiæ Dei. Angelos Agno prosternit, freno eo nos infrenare dignetur, cuius omnis est gloria, & sine quo nihil possumus. Ipsius nomen sit benedictum nunc & per omne seculum.

Amen.

IN DIE FESTO OMNIUM SAN-
ctorum, Euangelium
Matt. 5.

Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicens, &c.

P R A E F A T I O.

Ceneratio venit, generatio præterit. Stultus non solum, sed & sapiens moritur. Calcanda semel via est lethi. Omnes eodem cogimur, omnium Sors exitura, & nos in æternum Exilium impositura cymbe. Necessitas illa fati, facit nos sollicitos de beatitudine. Mirum quàm de hac re sit philosophatum, etiam apud ethnicos. Tullius lib. Tuscul. quæst. dicit Beatum esse hominem, omnibus virtutibus instructum & ornatum. Item dicit, Vitam beatam virtute confici. Hic multum est sudatum, sed nequidquam: nam cum diu multumque de virtute disputarent, atque eam omnibus viribus indagarent, vix umbram eius inuenerunt. Immo etiam quo magis suis viribus se virtutem putarent posse comprehendere, hoc magis virtuti exciderunt veræ, hoc profundius in ignorantiarum & errorum tenebras sese ingesserunt. Erant alij, qui voluptatem summum bonum constituerent, de quorum numero fuit Poëta, dicens:

Vitam quæ faciunt beatio rem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parva labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis, &c.

Hi in podice aselli aruinam quæsiuere. Quid enim rationi tam est in consentaneum, quàm ex huius mundi vanitatibus beatitudinem æstimare? Accurrite ergo, properate, Christum audite, nobis ea quæ in sinu patris audiuit, beatitudinis mysteria edifferentem, Ioan. 1. 15. Hic nobis vitæ (vt Hilarius ait) instituta proponuntur, quæ neque Solon, neque Lycurgus nouit, quæ etiam Moses, Iosue, & omnes prophetæ non nisi in umbra & ænigmate viderunt. Quæ Iudæis etiamnum & Turcis abscondita manent. Qui habet aures audiendi, audiat.

Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperies os suum, docebat eos, dicens: Circumstantias euangelista diligenter cōscribit omnes. Doctor quicumque disciplinam aliquam traditurus, isthoc modo solet vti. Primò auditores petit, secundo locum aptum tam sibi quàm auditoribus. Denique vtrunq; na-

*Beatitudi
nem etiã
non nos
cupimus
omnes.*

Etus auditoriū, aperit os: hoc est, liberè & (quod aiunt) rotundo orē quidquid sentit, effatur. Christus archidōctor disciplinę inuētor, vitę præcepta daturus, hic quinque obseruasse videtur. Primò attendit plebem, tanquam oues pastore destitutas palantes. Matth. 9. Secundo ascendit in montem, vt omnibus consulat & inferniat. Tertiò confidet, tanquam is qui pacatè suum officium exequi intendit. Quarto, aperit os, ethnicis antea clausum, Judęis item adeò clarè nunquam apertum, Roma spirat os hoc salutare. Cantic. 7. Aurum planè hoc os, quod nobis diuina profert eloquia, Ezech. tertio. In veritate nunc porrò dicere possumus, Dei verbum nos audiuisse, Esaia 58. Denique docet, quoniam & illius ergo huc missus, doctor nempe iustitię, Iohelis 2. Obstupuit super eius doctrina populus, Matth. 7. Lucę quarto. Veritatis sermo efficax, Luc. 24. auditores prorsus inflammans. Mons hic, Oliuarum non est putandus, sed Thabor habendus, vt vult Hieronymus. Vnde & Dominus statim à sermone Capernaum venisse dicitur.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum.

Beatitudinis qualitates octo.

Octo qualitates beatitudinis, Doctor veritatis recenset, vt omnibus satisficiat, vt tanta mysteria ritè explicet. Hoc loco fundatur hoc, quòd scholastici tradunt octo beatitudines. Non est nouum papisticum commentum dogma illud. Sic enim & ante nos docuerunt sancti patres, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus. Illi duo super Matthæum, hic contra Faustum. Item Augustinus in sermone Dom. in monte, mentionem facit septem harum beatitudinum, statuens septem perficientes, & octauam clarificantem. Item vult vt septiformis operatio spiritus sancti apud Esaia 11. his octo sese cõformet. Origenes quoque beatitudines vocat. Porrò beatitudo hic non accipienda, iuxta vocabuli proprietatem, quo etiã diuites dicuntur beati. Vnde est illud Poetæ: Vetulæ vesica beatæ &c. Neque item beatitudo est tēporalis benedictio fideiū, quod inepti noui hallucinātur euangelici, interpretādo Beatus, hoc est, benè habebit. Salutē hic æternā intelligit Dominus. Christi spiritus non sunt, sed Epicurici, nostrates euangelistæ. Apo-

Beatitudo et salus.

stulus Paulus quoque ipse beatitudinem vocat Græcè
 μακαρισμον Rom. 4. ex Psal. 31. certè ad futuram felici-
 tatem respiciens. Hebraicum *Asse* torque & retorque
 quoquò velis. Interim hoc vnum ex te scire cupio, vt
 dicas mihi, qualis felicitas existat, quæ huius saltem vi-
 tæ existat. Sed ô euangelista noue, audi quid dicit Chri-
 stus Ioan. 13. Beati eritis, si feceritis ea. Sanè hoc intelli-
 gendum de retributione futura, de qua Mat. 19. Luc. 14.
 &c. Vide de hac re Athanasium de vi psalmodum. Beati
 pauperes spiritu. Vides non de externa aliqua hic Chri-
 stum intelligendum benedictione, qua pauperes planè
 sunt extorres. Qui pauper est, etiam minus habet hono-
 ris, teste Iacobo. Loquitur itaque de summo bono, sed *Paupertas*
 nō philosophico eo, sed theologico. Scrupus inest hu- *tu voca-*
 ic verbo, Beati pauperes spiritu. Variè siquidem inter- *bulum va-*
 pretes, pauperes accipiunt. Quidam spiritu pauperes in *rie accipi-*
 telligunt, spiritualem paupertatem comminiscetes. *tur.*
 Quidam pauperes in spiritu, tanquam præpositio in,
 subintelligi debeat. Apostolus Gala. 5. spiritu ambulare
 nos iubens, sine præpositione, ponit. Item Ioan. 11. di-
 cens Christum spiritu infremuisse, πῶ πνεύματι. Item Pe-
 trus 1. cap. 3. dicens Christum mortuum σαρκί, & resusci-
 ratum πῶ πνεύματι. In Luca cap. 2. legis Christum cor-
 roboratum πνεύματι Hebraicè legitur in Matthæo *As-*
 se anîe ha ruah: Beati pauperes spiritus, in genitiuo. Ite-
 rum dubitari poterit, de diuino ne spiritu, an de huma-
 no intelligas. Hæc omnia prætereunt, qui tumultuariè
 hunc locum de humilitate accipiunt. Nos illis omninò
 non pugnamus. Dicimus modum eum loquendi, Do-
 mino non esse ad eò frequentem, quando de humilitate
 loquitur, vt Matt. 11. humiles corde, quanquam & præ-
 positio ibi adiecta non sit: sed saltem dicatur, πῶ καρδίᾳ,
 Hebraicè *Sephal ruah*. Spiritus pro corde, sine dubio ex
 Salomone, Pro. 29. Septuaginta legunt Tapeinophro-
 nas, id est, humiliter spiritu modestè sentientes. Quod
 sanctus Hieronymus hic euangelistæ verba per Psal.
 33. vult interpretari, humiles spiritu saluabit. Hebraicè
daccee ruah iofia. Græcè secundum Septuaginta τὰς ψυχὰς τῶ
 πνεύματι: item quòd Eccle. 7. altus spiritu, huic loco op-
 ponit: probarem interpretationem, si etiam adduxisset

locum scripturæ, diues spiritus vel spiritu, quod simplici
 cius huic loco opponatur. Idem in Esaia dicit, Dauidam
 intelligendum de spiritu pauperibus, Psalm. 40. Beatus
 qui intendit super egenum & pauperem. Augustinus li.
 1. in sermone Domini in monte, humilitatem intelligit
 hic beatam prædicari. Idem facit in libro de duodecim
 abusuum gradibus, vbi ait: Pauper humilis, pauper spi-
 ritu appellatur. Veruntamen idem etiam nonnunquam
 simplici de paupertate reali intelligit, idque in libro
 iam memorato, gradu octauo. Item primo contra Ada-
 mantium cap. 19. Item contra Faustum cap. 7. Item in li-
 bro de contemptu mundi cap. 7. vbi hunc locum citat
 de paupertate rerum. Item illum Luc. 16. de paupere La-
 zaro, & diuite nepote. Ad Hieronymum rursus redeo,
 qui denique & hunc locum de reali accipit paupertate,
 dicens: Qui sunt voluntate pauperes. Dixerat ante de
 paupertate quæ necessitate portatur: quam Dominus
 nec laudare, nec probare vult. Hilarius paupertatem hu-
 ius loci intelligit non solum de humilitate, verum eti-
 am de rerum tenuitate, & animo sua sorte contento:
 vult vt nostra bona arbitremur esse communia omnia
 omnibus. Sunt enim hæc eius verba. Summa: iuxta lite-
 ram hic locus tenuitatem sonat. Vndè maiores nostri
 superioris seculi, de iis qui sponte mendicitati se & nu-
 ditati dederunt, intellexerunt. Item de pauperibus,
 qui in contracta inopia impatientes non sunt. Exem-
 plum huius loci petendum primò à Christo, 2. Cor. 8.
 Dein ab apostolis Matt. quarto, decimonono, Marc. 10.
 Lucae decimo octauo. Denique ab vniuersali ecclesia
 Acto. secundo, & quarto, &c. Attende hic paupertatem
 poni in fundamentum spiritualis ædificij, omnigenum
 puta virtutum. Quid aliud irrequietat totum mundum
 quàm Meum & Tuam? Qui ergo pacata mente virtu-
 tibus studere satagit, diuitias temnere, paupertatem a-
 mare discat. Cypria. dicit coniunctas & germanas esse
 virtutes, paupertatē & humilitatē. Infert idē: Pauperes
 electi, superbi neglecti. Eccè tibi nodū solutū de pauper-
 tate & humilitate, vtrunque dicitur paupertas spiritus.
 Hebraicū *Anij* trissyllabicum, cōplectitur vtrunq; &
 item infelicitatem significat. Hic obserua, & miseris in

*Pauper-
 tas in bea-
 titudinis
 doctrine
 caput po-
 sita.*

hoc seculo esse inopes, secundum Hebraicum vocabulū. Prouerbiū item est, Pauper vbique iacet. Pauper læsus tacebit, diues læsus querulus vociferatur, Ecc. 13. Contra præsentem infelicitatem promittitur pauperibus futura felicitas. *Ani* hoc Hebraicum, in Hebraico textu habetur, & significat item humilitatem, non tamen excludit egestatem & infelicitatem. Latina dictio magis significat nuditatem siue indigentiam, quam & Græcum prochos. Humilitas quoque hic non secluditur. Tertullianus Græcum *πρωχός* magis attendens, ausus legere, Beati mendici, contra Marcionem. Quid? Nonnè & Lucas cap. 6. dicit, Beati pauperes, spiritus vocabulo omisso? Ambrosius quoquè 1. Offic. 16. locum Matth. præsentem, de pauperie siue de indigentia intelligit temporali, dicens: Ibi incipit beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna æstimatur humano. Beata ergo & ipsa paupertas. Cæterum nō omnes pauperes beati: apparet ergo, Mattheum tanquam per epexegefin hunc locum literis commendasse, atque de quam paupertate Christus intelligendus existat, expressisse: nempe de paupertate piorum, quibus magnæ diuitiæ habentur, si saltem rerum suppetat tenuis vsus. Immo etiam qui patientes existât in paupertate contracta, qualem paupertatem & ethnici beatam appellarunt, vndè extat illud Horatii:

Non possidentem multa, vocaueris
 Rectè beatum. rectius occupat
 Nomen beati, qui deorum
 Muneribus sapienter vti,
 Duramque callet pauperiem pati.

Huiusmodi pauperes Christus beatos pronuncians, luma sacra in suos defigit discipulos. Vndè & apud Lucam in secunda loquitur persona, dicens: Quoniam vestrum est regnum cælorum. Tales non sunt hæretici. Augustinus cōtra Faustum ait, Fausto se de paupertate multum iactanti, nihil hic neque feri, neque meri. a deo enim superbire, vt suam ipse animam deificet. Sic & apostolos fugillat superbos Corinthios, dicens: Ditati estis, inflati estis, &c. Viderint pauperes, quibus huius seculi fortuna est aduersa, vt suos informent affectus, qui pauperes quoque spiritu fiant, ex animo dicētes: Fiat voluntas tua:

*Mendico
 beati.*

*Pauperes
 discipulos
 suos Chri-
 stus bea-
 tos pronū-
 ciat.*

POSTIL. V VICE. SVP. E VANG.

Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Hi sunt bonæ voluntatis homines, quibus Lucas pacem denunciat, quos & Ioannes ex Deo natos prædicat. Horum est regnum cælorum, quia ipsi sunt filij Dei. Monet ergo sanctus Petrus 1. cap. 4. Christianos oues mactationi deputatas, nè patiantur vt mali operarij & nocentes. Sunt maligni nihil habentes, sed ita viuentes, vt dicas eos ad rastrum suapte sponte redire velle. Decoctores eos etiam postea sudare & algere, æquum est, iuxta hoc Satyrici:

Pauperes aliqui infelices.

Digito mendicat Pollio nudo.

Medicinas optabilis.

Videas cui tua des. Si mitis vt columba, & prudens vt serpens. Ad spiritu pauperes redeamus. Hieronymus tales (vt par erat) vehementer landat, dicens Paulam semper optasse, vt mendica posset ex hac vita decedere. Augustinus quoque virtutem miris extollit encomiis. Idem quoque ethnicorum exempla adducit: Quintij nimirum Cincinnati, L. Valerij, Fabricij, Reguli, lib. 5. de ciuitat. cap. 18. Dicis sacerdotes euangelium docentes, latifundia quoque possidere & esse diuites. Error hic est Hufitanus, qui sacerdotes omnes precario victitare volebat. Chrysofomus dicit, Christum apostolos, non rogatores, in mundum vniuersum misisse. Sacerdotes pauperes esse decet. Episcopi paupertatem iurare habent, sic tamen, vt dispensatores maneant bonorum ecclesiæ, quæ sunt pauperum. Ecclesia possidet diuitias, non diuitibus, sed pauperibus, quod sacri canones locupletissimè testatur. Si qui hæc cum Iuda pauperibus subtrahunt, suo luxui hoc reseruantes, aut canes, caballos, venatores & hoc genus alendo, mundo gratulantes, cum Iuda proditore suam partem habebunt. Sunt & pij, bona ecclesiæ ritè dispensantes. Oportet vt scandala fiant. Vt per quæ. Non sequitur ergo, sacerdotes ad inopiam redigere omnes oportere, quos ecclesia exemplo apostolorum, etiam bonorum ecclesiæ omnium dispensatores habuit. Hospitales eos Apostolus vult, non vagos. Item Christus mat. 25. Luc. 6. 1. Cor. 8. 9. 1. Tim. 6. Tit. 2. Viderit avarus, quid excuset contra hoc quod dicitur Marc. 4. 10. Luc. 6. 16. 18. Iacob. 5. Christus Iesus qui pro nobis pauper factus est, vt

Sacerdotes precario viuere vel le Hufitanorum est

Paupertatem olim iurare cogebantur episcopi.

est, vt

est, vt eius nos penuria æternam hæreditarem opulentiam, spiritum paupertatis nobis largiatur, ad suam solius gloriam, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

IN DIE OMNIUM SANCTORVM,

Matth. 5.

Videns Iesus turbas, ascendit in montem, & c.

¶ *Señtio.*

- 1 *Vocati credentes, bonis operibus ad beatitudinem pertingunt.*
- 2 *Præcipuum opus bonum est, dissipare sua, & paupertati assuescere, mitem esse, lugere, & c.*
- 3 *Beatitudo est laus, & gloriam importat.*

¶ *Declaratio.*

1 *Beati. Iouinianista operibus bonis sua negant merita. Eunomianista, Aetianista, & alij heretici, solam fidem omnem iustitiam perficere dicunt. Sed status euangely bona opera proximè & secundum fidem postulat, atque bonis operibus, iuxta atque fide, iustificari adumbrat. Omnes sancti à Mundi exordio fide per charitatem operante, placuerunt Deo. Adam pœnitentia sudoris vultus sui, Noëhmus iustitia & doctrina veritatem testificante, Abraham obedientia & exilio, item Isaac & Iacob variis probati sunt exercitationibus. Moses & David gloria mäsuetudinis, & c. omnes denique pietatis operibus. Christus primum sermonem in monte incepit de virtutibus, nouissimum in cœna claudis cum charitate.*

2 *Pauperes spiritu. Auaritia est radix omnium malorum, 1. Tim. 6. Nihil ea iniquius, Eccles. 10. Neminem immunem à peccato esse permittit. Horatius vocat iridamenta malorum. Item Ouidius ait:*

Effodiuntur opes iridamenta malorum.

Item de remedio amoris:

Non habet unde suum paupertas pascat amorem.

Hieronymus in Epistola meminit Philosophi, dicentis: Abite in profundum mala cupiditates: submergam vos, nè submergar ego. Prouerb. Paupertas sapientiam sortita est. Item, Pauper, sed ingeniosus. Mites etiam beati prædicantur. Prouerb. 20. Misericordia & veritas custodiunt regem Seneca ad Neronem libr. de Clement. Clementia regis in subditos, gladius in hostes. Exemplum

3. *Reg. 12.*

3 *Quoniam ipsorum est regnum calorum, Quoniam terram pos-*

sidebunt, Quoniam consolabuntur, & sic deinceps: vides egregia promissa. Gloriosa hæc sunt, id est, clara & predicabilia. Eccl. 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula. Beatus Christus pronunciat virtuosos. Virtuti beatitudinem præfert. Delebit aut corripet textum hæreticus, omnia fidei soli, nihil virtuti relinquens. Hæretici Lazaro æquant diuitem, nepotem Zachæo, sua pauperibus dantem, diuici iuueni dristi tua omnia reseruanti. Beatos scriptura predicat virtute spectabiles, Iacob. 1. & 5. Ecclesiastic. 44. usque ad 50.

IN DIE ANIMARVM,

Ioan. II.

Domine, si fuisses hic, frater meus non esset, &c.

¶ SECTIO.

- 1 *Martha confitebatur, suffragia fidelium etiam mortuis esse salutaria.*
- 2 *Christus confessionem eam confirmat.*
- 3 *Suffragia in nomine Iesu sunt efficacia.*

¶ DECLARATIO.

1 *Dixit Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, &c. Gradus fidei infimus est, suffragia bonorū prodesse viuentibus, Exemplum talium scriptura est plena. Abraham, Loth, & sancti Patres toties exorant Dominum Deum pro aliis. Moses iram Dei quasi violenter cohibuisse videtur. Dicit enim Dominus: Dimitte me ut irascar. Sed maior est gradus, credere fidelium intercessionem etiam prodesse mortuis. Fortè ante Christi resurrectionem fides illa necdum adeo erat illustris. Non tamen omnino erat ignorantia & incredulitatis tenebris sepulta. Precabatur enim synagoga pro mortuis ex paterna traditione, quod haudquaquam fecisset, nisi intercessionem eam pro mortuis, mortuis salutarem esse credidisset. Martham hoc credidisse, eius verba ad Christum, arguunt. Dicit: Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Q. d. Tametsi frater meus sit mortuus, tamen non dubito intercessionem tuam illi etiam in alio seculo salutarem. Non credidit tum plenè, Christum esse filium Dei viui, iudicem uiuorum & mortuorum, sed maximum omnium prophetarum esse putabat.*

2 *Christus linum funigans non extinxit Marthe, immo inflamauit, ostendens se resurrectionem esse & vitam. Q. d. Si credis me supplicum vota suscipere pro animarum agentibus, crede etiam ea ipsa vota me suscipere pro vita sanctis. Non credebatur peccata*

dimittere posse. Dixit ergo paralytico: *Fili, confide: remittuntur tibi peccata tua, &c.* Suscitavit quoque *Lazarum*, ut credat totus mundus, ipsum viventium vota pro mortuis suscipere, Iudicem vivorum & mortuorum. Vnum summopere scitu necessarium, nempe nulla prorsus suffragia neque pro vivis, neque pro mortuis caelum penetrare, nisi per Christum, hoc est, fide Christi. Dicit ergo: *Credis hoc?*

3 *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Venisti è caelo, & ipsum caelum votis nostris per vim fecisti. è caelo venisti Dominus vivorum & mortuorum, cui etiam pro mortuis salubriter supplicatur, quam pro vivis. Quare iudex mortuorum non oraretur pro mortuis, cum viventium iudex idem pro viventibus exoretur? Si utrorumque Iudex, rite pro utriusque illi preces funduntur fidelium. Pro mortuis orare, non est Christo fidem obliterare, sed illucidare. Quam pro mortuis sit meritoria, praesens Evangelij sancti declarat historia, Excitatus Lazarus oratione, fidei evidens est argumentum. Praedicatur Evangelium, Martha & Maria piam pro fratre mortuo complectens curam.*

IN DIE FESTO S. MARTINI TYRO-
NENSIS EPISCOPI VERE CHRIS-
tiani & catholici, Epistola & Evangelium quaerantur supra in festo sancti Nicolai. Vitam autem Martini, quemadmodum à Sulpitio Severo descripta est, ex Latino Hagiologio petitam, sacerdos pius clero populoq; tum eruditioni, tum emendationi proferre potest ac debet.